


AB

W5212

Tom. 26.  
27.  
28.

113  
Silber

L1100H.



113  
L.O. ~~29~~, 4.

MERCURII GALLO-BELGICI  
M. GOTHARDO ARTHUSIO SUC-  
CENTURIATI,

*Sive*

R E R V M I N  
GALLIA ET BELGIO PO-  
TISSIMUM, HISPANIA QUOQUE,  
ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, UNGARIA,  
Silesia, vicinisq; locis, à nundinis Francofurtensibus autu-  
mnalibus anni 1649, usq; ad vernaes anni  
1650. gestarum,

*HISTORICÆ NARRATIONIS  
continue,*

TOMI VIGESIMI SEPTIMI  
LIBER QVARTVS,


*Auctore*

JOANNE GEORGIO SCHLEDERO, Ratisponensi.  
*Cum S. Cæs. Majest. Privilegio Speciali.*



FRANCOFURTI,

*Sumptibus & typis Hæredum Sigismundi Latomi, Anno 1650.*





Anno  
1649.

MERCVRII GALLO  
BELGICIM. GOTHAR  
DO ARTHUSIO SUC-  
CENTURIATI,  
TOMI XXVII. LIBER IV.

*EORVM, QVÆ à NVNDI-  
nis Francofurtensibus autumnalibus anni  
1649. usque ad vernaes anni 1650. scri-  
ptu digna passim acciderunt,  
narrationem conti-  
nens.*



**R**ATIOSE DOMINE *Connexio*  
**L**ECTOR! Stat alta meritò ad-*cum prio-*  
huc mente repostum; factam ti-*ribus.*  
bi in præcedenti libello tertio, & quidem  
pagina eius 113. à me promissionem, Te  
nempe in præsentì Relatione mea, de  
comprobata & demandata à Sacra Cæ-  
sarea Maiestate subscriptione pertractatæ  
in Conventu Noribergensi in negotio  
pacificatorio executionis & inde transa-

A 2      ste

Anno  
1649.

cto Recessu Interimistico & Præliminari;  
nec non quæ præterea scriptu digna acci-  
derint, certiozem redditum iri.

Vt ergò verba viribus vigeant, scito  
Tua Præstantia, postquam Conditiones;  
quas inclytus Cæsar in executione Reces-  
sus Præliminari in primis, & per expres-  
sum inclusas voluit, (videlicet, ut 1. lau-  
datissima Sueciæ Corona omne id, quod  
Recessus hic Interimisticus in se continet;  
in singulis suis apicibus, nõ obstante Gal-  
lorum contradictione, ad exitum perdu-  
cat. 2. legiones nationales ex provinciis  
Austriacis, aliisque, antequam hiems in-  
gruat excedere jubeat. 3. reliquos nego-  
rii pacificatorii tractatus continuo pro-  
gressu ad finem promoveat, neque vel à  
Sacrae suæ Cæsareæ Majestatis regionibus  
hæreditariis, neque etiam à Serenissimo  
Domino Electore Bavariæ, ratione Pala-  
tinatus superioris, in Causa religionis,  
quidquam ulterius exposcat; & ut 4. e-  
mergente casu labefactionis sive sub-  
versionis, Status cum Cæsare resilire, par-  
tamq; tanto labore Pacem Germanicam  
ad exitum perducere velint) modum fi-  
nemque suum acceperint; (tantummo-  
dò, quòd in prædicto tertio articulo, tam  
ratione provinciarum hæreditariarum,  
quàm

quàm etiam Palatinatus Superioris, in Anno  
causa religionis statutum, illud quidem ex 1649.  
parte Ordinum eatenus restrictum fue-  
rit, ne iis modus intercedendi post pacifi-  
cationem per hunc Recessum ademptus  
sit: Hoc verò, quantum ad Superiorem  
Palatinatum pertinet, ob exortam inde  
non ita dudum acriorem cōcertationem,  
ita restrictum fuit, cùm Elector Bavar.  
rem, tanquam causam Monasterii & Ona-  
brugis perfectam æstimaverit, quòd scili-  
cet in superiori Palatinatu, id quod de-  
monstrandum recepit, Ius reformandi si-  
bi concessum fuerit, atque ita etiam in  
Noribergensi Tractatu Executorio, per  
maiora Catholicorum pervincere puta-  
verit; Sed cui reliqui, præsertim Civita-  
rum Legati sese opposuerint ) eum tan-  
dem 11. 21. Septembr. inter un- & duo-  
decimam meridianam, subscriptionem  
suam, quò non parvo tempore adeò soli-  
citè adspiraverant, fortunante Jehova, re-  
ipsa nactum, simul etiam mutuum eius  
traditionem ritè factam fuisse, cuius sub-  
sequens tenor est:

*Equidem notum facimus, cùm faven- Copia Re-  
te divina clementia ventilatis Monasterij & cessus  
Osnabrugis in Westphalia longo tempore Prelimis-  
Tractatibus, universalis Germaniæ Pax ea- naris.*

A 3

tenus

Anno  
1649.

§ Mercurii Gallobelgici

tenus redueta, publicata, & ab omnibus bel-  
ligerantium regnorum Partibus ratificata,  
ut certa quedam eiusdem executionem con-  
cernentia Puncta Sacrae Casarea Maie-  
stati, ut & supremis militiae Suecicae Praefe-  
ctis, transmissa fuerint, iique in eum finem  
in Sac. Rom. Imperii civitatem Noribergen-  
sem ipsi sese contulerint; Quod inde ad perfi-  
ciendum sanctae Pacis negotium, previa ma-  
tura deliberatione medio interiecto tempore,  
& donec etiam in reliquis Punctis finis in-  
veniatur, ut aspera immissi militis moles eo  
melius celeriusve allevetur, super subsequen-  
tibus articulis, nomine sacrae suae Casareae, &  
Regiae Sueciae Maiestatis, cum consensu, con-  
silio & comprobatione presentium Electo-  
rum, Principum & Ordinum S. Imp. Ro-  
man. Legatorum, Transactio inita fuerit, in  
posterum Recessui principali ita integre inse-  
renda, eo, quo sequitur tenore.

Primo, quantum ad Restitutiones ex Ca-  
pite Amnestiae & Gravaminum, à Sacra  
Casarea Maestate in ipsius regnis, principa-  
tibus & provinciis hereditariis executioni  
committendas, attinet, cum sacra sua Cesa-  
rea Maestas cuilibet illud se concessuram, i-  
terum pollicita fuerit, quò Pacis Conclusum  
in uno atque altero ipsam obligavit, in hoc res  
salva esto. Quantum autem ad Electores,  
Princi-



Principes & Status Imperii pertinet, statim Anno  
 terum sententia, in Puncto Restitutionis ex 1649.  
 Capite Amnestia & Gravaminū, ex instru-  
 mento Pacis, & suffulta ipsi norma univer-  
 sali, terminorum a quo, regulis item tam ge-  
 neralibus, quam specialibus, citra affectum,  
 citraque moram & respectum personæ, religio-  
 nis, vel Iurium Petitorum, (salva tamen re-  
 servatione eorundem) citraque ullam exce-  
 ptionem, quocumque nomine veniat, præcipue  
 ex nudo facto possessionis, usus, observantia  
 & exercitii, casus liquidos ab illiquidis se-  
 parandos, & ocius ad exitum accelerandos,  
 ita ut casus liquidi, qui in Instrumento Pacis  
 vel specialiter & nomine tenus expressi, vel sub  
 Regulis generalibus, citra inficias, compre-  
 hensi sunt; præsertim qui in proximo siti, vel  
 alias citra dispendium temporis expediri fa-  
 ciles sunt: puta, quos adiuncta sub litera A.  
 designatio exhibet, adhuc ante primum, se-  
 cundum & tertium terminum Exauctora-  
 tionis & Evacuationis dijudicari, & exe-  
 cutioni dari debeant; quo facto Restituen-  
 dis adhuc ante finem postremi termini Exau-  
 ctorationis & Evacuationis sive deductionis  
 permissum esto, in casu ulterioris oppositionis  
 vel tergiversationis Restituentium, atque si  
 per Circulorum Duces, vel Executores ad  
 Iustitiam permoveri non poterunt, unà cum

Anno  
1649.

ijs, vel proprio illorum robore, veletiamope-  
ra, qui in proximo excubabit, militis Cesa-  
rei & Suecici, vel aliorum quoque armis, &  
ita manu militari sibi restitutionem facere.

Quæ quantumvis militaris, legitima ta-  
men executio, nullo modo pro contraventione  
universalis Osnabrugis & Monasterii con-  
venta Pacificationis reputator vel inculpator,  
quin imò refractarii Restituentes omne inde  
dimanans damnum, unà cum expensis, re-  
fundunto: reliqua verò omnia, quia propter  
multitudinem, atque diversitatem Casuum,  
difficultatem probationum, & distantiam lo-  
corum, in termino tam arcto expediri non po-  
terunt, à dato transacti huius Recessus, intra  
proximum trimestre itidem ad finem & ex-  
ecutionem perducuntur, adeòq; omnia sine re-  
servatione, limitatione vel remissione ad peti-  
torium, effectui dantur, ne quis sit, qui velex-  
plicitè vel implicitè conquerendi causam ha-  
beat: Omnia ex tenore Instrumenti Pacis, &  
Cæsareorum de super in Imperio publicatorum  
Edictorum, & sub iunctis in eventum contra  
morosos, & quocunq; modo venientes, pœ-  
nis, absque respectu personarum infligendis.

Vt ergò omnia eò certius procedant, tan-  
toque magis maturentur, à presentibus Ele-  
ctorum, Principum & Statuum Legatis, cer-  
ni Deputati, equali numero ex utraque Re-  
ligione

ligione, ad decisionem & consummationem Anno  
 Puncti Amnestie & Gravaminum consti- 1649.  
 stituuntor & legitimantor, qui rem peragun-  
 to, & tantisper absque ulla dissolutione vel  
 avocatione suorum DD. Principalium &  
 Superiorum, congregati permanento, actusq;  
 continuo gnaviter, omniq; fervore procedun-  
 to, dum Gravamina hic exhibita perlecta  
 fuerint; inde, quod liquidum, Directoribus  
 Circuli simpliciter ad exequendum; quod ve-  
 rò propter defectum sive informationis, sive  
 probationis, itemque propter absentiam unius  
 vel utriusq; partis, pro tempore factu non pos-  
 sibile, Ducibus Circulorum, inclusis quere-  
 lis & petitionibus, ad ulteriorem causa co-  
 gnitionem, & simul etiam pro renata, ad i-  
 psam executionem, quo officio accuratè per-  
 funguntor, transmitti debet.

Directoribus Circuli vel Executoribus,  
 neque à Sacra Casarea Maestate, neq; quo-  
 vis alio, ulla inhibitiō fieri, multò minus, quod  
 vigore Conclusi, Edictorum Casareorum, hu-  
 jusq; Recessus, executioni datum & restitui-  
 tum, vel dehinc ulterius eodem modo execu-  
 tioni mandandū & restituendum erit, iterum  
 infirmari, immutari, infringi, nec ulla ex ad-  
 verso turbatio admitti; quin potius in iis de-  
 fendi atq; protegi debent, & quòd hac vel a-  
 lia via hactenus in contrarium actum, ut &  
 omnes uno atque alio loco contra eum inter-

A s posita,

Anno  
1649.

posita, vel adhuc interponenda, in ipso Instru-  
mento Pacis rejecta, & pro nullis declarata  
Protestationes & Reservationes, via Juris vel  
facti, nec minus omnia contra Conclusum  
Pacis collimantia Rescripta, Mandata vel  
Decreta, quocunque nomine significantur,  
hoc ipso rejecta, sublata, atque in pristi-  
num statum restituta sunt. Omnia sub pœ-  
nis prefato Instrumento Pacis & Edictis Cæ-  
sareis insertis.

Porro transactum, quod tam pecunia sa-  
tisfactoria militia Suecica exolvi, quam etiã  
dimissio legionum, & cessio locorum, ex teno-  
re conclusæ Pacis, inchoari & effectuidari  
debeat; & id quidem sequenti modo, ut vi-  
delicet, cum primis Celsissimus Dominus Co-  
mes Palatinus & Generalissimus, à magi-  
stratibus Civitatum, deponenda pecunie as-  
signatarum, in quovis Circulo, (inter quas,  
in Circulo Saxonico Superiori vel Brunsvi-  
gam vel Magdeburgum, ex ipsa optione illius  
Circuli Ordinum, intelligi volumus) semper  
decendio vel octiduo ante singulos terminos  
certior reddatur, quod primo termino octies-  
decies centena millia, id est, 1800000. Se-  
cundo termino sexcenta millia Imperialium,  
& tertio termino iterum 600000. Imp. in  
iporum Presentia in numerato, absque de-  
falcatione unius atq; alterius Status Quote,  
Et ad

Et ad suae Clementiae absolutam dispositionem Anno parata stent, Et quod non sit, ut ipsa de unius 1649. atque alterius Status residua portione conquirenda, laborem subeat.

A prioribus 1800000. Imperialibus ante omnia, Et quidem in primo termino deditur id, quod Celsissimi Domini Comitis Palatini Et Generalissimi jussu, unius vel alius Status re ipsa Et parato iam adnumeravit, ut Et illud, quod ex civitatibus, ad deponendam pecuniam denominatis, ad reductionem, ex-auctorationem, vel alioquin praedicto primo termino, acceptum fuit.

Itemque in tribus illis evacuationis terminis, juxta ipsorum proportionem deducendum semper est Et illud, quod nomine Regiae Majestatis Et Coronae Sueciae, a Celsissimo Domino Comite Palatino, uni atque alteri Statui per modum exemptionis aut alias, vigore apocharum propria manu subscriptarum, vel dispositionis, jam remissum, vel adhuc remittendum est; quod omne in plena quinque Millionum summa, secundum proportionem terminorum solutionis defalcandum, Et inde calculus formandus est.

Vt autem, quod reliquum, eo certius etiam a morosis obtineatur, Celsissimus Dn. Comes Palatinus Et Generalissimus, ad Dominos Generales, aliosque militia Praefectos, mandata dedit, ut petentibus quibusvis Circuli Directo-

Anno  
1649.

Directoribus, ex exercitu eo numero, quo opus erit, locoq<sup>3</sup>, ubi ipsius ministerio egebunt, ad realem contra morosos executionem, militem subministrant, eumq<sup>3</sup> petentibus Circuli Directoribus, rursus abducendum curent.

Hinc finita & conclusa universa hac Actione, intra octiduum, in Instrumento Pacis expressis septem Circulorum Civitatibus, Vnus millio Imperialium parato, attamen à quovis Circulo non amplius, quam in quantum portio eius, quoad tres hos millones excurret, exolvi, & deinceps illicò, tam à Cæsareanis, quam Suecicis, ad exauktionem & dimissionem legionum & munimentorum sub primo termino, qui dies decimus quartus esto, à Dato conclusorum horum tractatum, innuente id Designatione sub litera A. procedi debet, nisi inter Suecicos & Status Imperij maioris ipsorum emolumentum gratia aliud de maturiori emigratione transactum fuerit. Id quod etiam in secundo & tertio termino observandum; ita ut in secundo termino, facta persolutione secundi millionis Imperialium, iuxta supradictam proportionem Circulorum prefixis proximè subsequentibus quatuordecim diebus, cum exauktionem & evacuationem illorum, in designatione litera B. denominatorum: & in tertio termino, post consimilem exolutionem tertij millionis Imperialium.

linum, iterum in prefixis proximè subsequen- Anno  
 tibus quatuordecim diebus, in designatione 1649.  
 litera C. denominatarum legionum & for-  
 talitiorum, simili exauctoratione & evacua-  
 tione procedatur, & ita omnia à dato finita  
 & subscripta totius huius transactionis, intra  
 sex septimanas, plenariè dinumerentur, & ab  
 Electoribus, Principibus & Statibus cum-  
 primis eò respiciatur, omnisve eorū labor oc-  
 cupetur, ne in annumerando exauctorationi  
 & deductioni impedimentum fiat.

Sic etiam sacra sua Casarea Maiestas de-  
 pacta ducenta millia (200000.) Imperia-  
 lium, tribus terminis, videlicet, quia Regnum  
 Bohemiae, præter civitatem Egranam, præ-  
 liminariter & in antecessum præsidii & ho-  
 spitiis eliberari debet; ideò ex illis sexagies se-  
 xies millenis, sexcentis & sexaginta sex Im-  
 perialibus unoque triente ( $66666\frac{1}{3}$ .) in spe-  
 cie, duos trientes è vestigio: & tum residuum  
 trientem, si Egra eliberatur, in primo termino  
 $66666\frac{2}{3}$ . Imper. in specie, octiduo ante Mar-  
 chionatus Moraviae; & denique  $66666\frac{2}{3}$ .  
 Imper. in specie, octiduo ante Principatum  
 Silesiacorum evacuationem, accuratè red-  
 denda & exolvenda curabit.

Hæc iam prædicta via transacta, & regia  
 Suecicae militiae adpropriata pecunia satisfa-  
 ctoria, itemque exauctoratio & evacuatio va-  
 lide,

Anno  
1649.

14

Mercurii Gallobelgici

lidè, absq; ullo obiecto impedimento ab omnibus partibus, ipso opere executioni mandator. Vbi ulterius cum primis complacitum & conventum, ut statim & in continenti, facto in hoc articulo sine & subscriptione, sequentia loca, presentibus utriusque partis Commissariis longè celerrimè, quàm per distantiam locorum possibile erit, ante omnia invicem reddantur, & toties ad utriusque partis supremum militia Consilium, qua ut usque ad secundum terminum in loco commorentur, obligata sunt, rei factæ relatio perscribatur.

Videlicet

Praga, & superior Palatinatus, ex- cepta Weidens	loco	Augusta, Inferioris Palati- natus, Memminga, & Sultzbachii.
--	------	---

Donauvertha	loco	Albeccij, Hornberga, Schiltachij.
-------------	------	---

Munimentum Rainense Vberlinga Mainavia Langevarcha	loco	Aurachij, Lindavia, Asperga, Wildenstenu.
--	------	--

Tabo-



Taborium & loco Ratisbona.  
Lytomericum

Anno  
1649.

Brandisum loco Wilzburgi, &  
Conopitium, aliq. Weissenburgi.  
Bohemia loca,  
excepta Egra,

Facta ita locorum mutua traditio & resti-  
tutione ad priorem & legitimum cuiusvis  
Possessorem & Dominum, tam dimissio le-  
gionum, quam evacuatio locorum, vigore  
antedictae Designationis, ita confestim, & ci-  
tra moram effectui committitur, ne inde ex  
secundo vel tertio termino mora ad crescat;  
sed ut omnia die & tempore praefinito, secun-  
dum conventos terminos integrè & sine vitio  
perfici & consummari possint. Quantum-  
vis etiam propter reliquos duos miliones in  
executione Pacis quaequam Dispositio addita,  
unanimitamen consensu, tam ad expeditio-  
nem maturationem evacuationis & exancto-  
rationis, quam etiam ad moderationem rea-  
lis asscuracionis, hic conventum est, quòd et-  
jam quartus millio collectari debeat: quam-  
obrem maior Statuum pars Saxoniorum  
Circulorum, superioris & inferioris, nec non  
Wephalici, ut & quidam Status, qui ex qua-  
tuor superioris Germaniae Circulis a superiore  
belli

Anno  
1649.

belli molem non ita continuè tulerunt, vigore alicuius seiunctim conventæ specificacionis, portionem debitam ad quartum & quintam millionem, intra tres prædictæ exauctoracionis & evacuationis terminos, invicem conferunt, & ex Celsissimi Dn. Comitis Palatini & Generalissimi assignatione dinumerando; sed qui vicissim non maius, nisi ut tantummodo Collectationem quarti millionis faciant, subintelligendi; quintum vero millionem ad realem affecurationem separatam relicturi. Vbi è diverso legiones apud illos Status, præsertim in Saxonico superiori & inferiori, nec non Westphalico, Circulis consistentes, simul atq; Quota ipsorum ad quartum & quintum millionem plenariè persoluta fuerit, & ita præstita maturiori satisfactio-  
ne, etiam adhuc ante illos terminos, in quibus alioquin exauctoratio facienda, dimittuntur; Præsidia verò in illis terminis, eoque ordine, de quibus adiuncta prædicta Designatio disponit, vel etiam ex transactione inter Ipsius Celsitudinem, & unum atq; alterum Statum, ad celeriore liberationem suorum locorum, separatim erigenda, deducuntur; & quidquid ita conventum vel transactum erit, non minus, ac si huic Recessui inscriptum fuisset, validum & obligatorium esto.

Etenim neque hoc ipsum, neque etiam it-  
lud-

Ind quod alioquin ratione argenti satisfacto- Anno  
 ru, in hoc Recessu statutum & ordinatum, à 1649.  
 quocunq, nullo modo pro contraventione pa-  
 cis allegator, vel in posterum allegari, sed tan-  
 quam spontaneum Conclusum haberi atque  
 rnpitari debet.

Quidquid autem ex duobus his millioni-  
 bus, præter illud, quod à prædictis Circulis &  
 Statibus præfato modo annumeratum, ad-  
 huc in residuo manebit, Electores Principes  
 & Ordines, quanti unus atq, alter ex quarto  
 millione in publico hoc are fuerit, à dato po-  
 streme Evacuationis, intra sex mensium spa-  
 tium; & quintum millionem, à prædicta po-  
 strema deductione, intra duodecim mensium  
 spatium, in civitatibus deponenda pecunia  
 destinatis, conferunt. Vbi Celsitudo sua  
 per expressum sibi reservavit, quòd petita in  
 puncto residui ex quarto & quinto millione,  
 reali asssecurationi nullatenus renunciatum  
 velit; addita ulteriori hac declaratione, quòd  
 prædicta realis asssecuratio, ante primum eva-  
 cuationis & exaudtorationis, terminum, ef-  
 fectui dari debeat; tum demum omnia illa,  
 quæ in hoc Recessu transacta plenas vires ha-  
 bitura. Præterea etiam à parte Suecicorum  
 expressim reservatum, ut, quidquid vigore e-  
 rectæ inter Ordines & Legatos tribunosve  
 Suecicos Compositionis, ex sustentatione reli-

B

quum

Anno  
1649.

quum fuerit, & presentibus utriusq; partis  
Commissarius demonstrari possit, in quolibet  
termino evacuandi presidii, & legionis abdu-  
cenda, solide exolvi debeat. Sic ergo in Puncto  
Satisfactionis militiae, exauct. & evacuatio-  
nis disposita preliminaris deductio, & quidem  
quantum ad loca à militia Suecica presidii  
subdita, attinet, annumerata, ad hanc dedu-  
ctionem spectante, & conventa regia Suecica  
militiae pecunia satisfactoria, è vestigio, omni  
procul mora omnive exceptione remota, as-  
sumitor, continuator, & à dato Conclusi hu-  
jus Recessus, intra 14. dies ad finem per duci-  
tor : Reliqua autem in eo conventa puncta,  
sum demum plenam efficaciam & realem  
executionem acquirunt, cum antea etiam  
ulteriora illa ad plenariam Conclusionem per-  
tinentia Capitula, & ex iis nominatenus et-  
iam Designatio Restituendorum, nec minus  
designationes, quo modo trium terminorum  
tempore loca eliberanda, & Legiones discin-  
gende; itemq; designatio illorum Statuum,  
qui ad exolvendum quartum millionem cō-  
tribuere & conferre debent; ut & realis asse-  
curatio ratione quinti millionis Imperialiū,  
ad omnimodam concordiam & compositio-  
nem redacta, Recessui Principali inserta, at-  
que is omnium subscriptionibus & sigillatio-  
nibus corroboratus fuerit.

Ad

At quod testificandum, firmioremve rei Anno  
 observantiam, nos in sine nominati, & ad hoc 1649.  
 legitimati, Recessum hunc Interimisticum si-  
 ve protemporaneum, propriis manibus sub-  
 scripsimus, & Dn. Dn. regis Suecicis ad hoc  
 intentidem legitimatis, à quibus conforme  
 exemplar sub ipsorum manu accepimus, ex-  
 hibendum curavimus: quod factum Nori-  
 berge, die 21. Mensis Septembris stylo novo,  
 anno Christi 1649.

L.S. Isaac Volmar D. mp.

L.S. Georgius Ludovicus Lin-  
 denspür, mp.

Subscriptio Suecicorum Plenipoten-  
 tiariorum.

Ad id testificandum, firmioremve eius ob-  
 servantiam, nos sub finem nominati, & ad-  
 hac legitimati, Recessum hunc Interimisticum  
 propriis manibus subscripsimus, gentilitiis  
 nostris sigillis expedivimus, & pro Electori-  
 bus, Principibus & Statibus ad manus Im-  
 perialis Directorij Moguntini, prout & nos  
 nomine Illustrissimorum Electorum, Princi-  
 pum & Statuum, conforme exemplar, sub  
 illorum ad hoc Deputatorum subscriptioni-  
 bus & sigillationibus accepimus, exhiben-  
 dum curavimus. Actum in Sacri Roma-  
 ni Impe-

Anno  
1649.

20

*Mercurii Gallobelgici*

*ni Imperii civitate Noriberga, 18. (28.) Aug-  
gusti, Anno 1649.*

L. S. Alexander Erskein, mp.

S. S. Benedictus Oxentierna, mp.

Subscriptio Statuum Deputatorum.

*In verum testimonium, & accuratiorem rei  
observantiam, nomine universorū Dn. Dn.  
Electorum, Principum & Statuum, nos in  
fine nominati, ad hoc specialiter Deputati,  
Recessum hunc Interimisticum nostris pro-  
priis manibus subscripsimus, nostris etiam  
gentilitiis & consuetis sigillis expedivimus, &  
Dnn. Regis Suecicis, à quibus Electorale  
Moguntinum Imperij Directorium consina-  
le Exemplar, sub illorum manu & sigillatio-  
ne, pro Dn Dn. Electoribus, Principibus &  
Statibus accepit, tradidimus. Actum in S.  
R. Imperij civitate Noriberga, 18. 28. Au-  
gusti, Anno 1649.*

L. S. Iohannes Phi-  
lippus à Vorburg,  
Electoralis Mo-  
guntinus Lega-  
tus, mp.

L. S. Georgius Hein-  
ricus à Künsberg,  
Episcopalis Bam-  
bergensis Lega-  
tus, mp.

L. S. Franciscus Roy-  
erus, Electoralis  
Bavaricus Lega-  
tus, mp.

L. S. Wolffg. Conra-  
dus à Thumbs-  
hirm, Saxonico-  
Altenburgensis  
Legatus, mp.

L. S.

L. S. Tobias Oelha-  
fen à Schöllēbach,  
Dr. S. R Imp. Ci-  
vitat̄is Noriber-  
gens̄is Deputatus,  
mp.

L. S. Zacharas Anno  
Stenglin, Dr. S. R 1649.  
Imper. Civitat̄is  
Francofurt. De-  
putatus, mp.

Perfecta subscriptione Cæsareanorum  
Legatorum, non solum ipsi suis, de eva-  
cuatione præliminari, ut videlicet ad emi-  
grandū in procinctu sint; sed etiam Sue-  
cici suis, tam qui in præsidiis steterunt,  
quàm qui provincialium hospita presse-  
runt, ut ad continuandum inceptæ exau-  
ctorationis negotium parati consistant,  
mandata dederunt. Quamobrem Dn.  
Dn. Dux ab Amalfi, quem Piccolominæū  
alias vocant, Dn. tribunum Neuhusium  
in Bohemiam, ad Dn. Generalem V Vit-  
tenbergium ablegavit. Dominus Comes  
Magnus de la Garde, Lipsiam; Dn. Gene-  
ralis Royerus Augustam : Dn. tribunus  
La-Cron, & unà cum eo Dn. Comes Gui-  
lielmus Henricus ab Hohenloë, Protri-  
bunus, Ratisponam : Dn. tribunus Ranf-  
tius, Weissenburgum & Wiltzburgum;  
Dn. tribunus Liechtensteinus, Hohen-  
Aspergam, locaque alia Ducatus Wür-  
tembergici : Dn. Grafus, Generalis apud  
Cæsarianos hospitiorum Inscriptoris Vi-  
B 3 carius.

Anno  
1649.

carius, Lindaviam, alii aliorum avolarunt, ad festinandam undequaque deductionem: & interea temporis Statuum Deputati, qui ex Capite Amnestiæ & Gravaminum reliquam causam executionis dijudicare debuerunt, videlicet ex parte Catholicorum, Legati Electorales Moguntini & Bavarici, nec non Episcopales Bambergenses & Ratisponenses; tum etiam pro mediatoribus, Electorales Colonienses: è contrario, ex parte Evangelicorum, Saxonici Altenburgenses, Brunsvicenses, VVolfenbütelenses, VVürtembergici & Noribergenses: pro Interponentibus autem Brandenburgici coordinati sunt; de quorum expeditione in subsequentibus plura adjungentur.

*Evacuatio diversorum locorum.*

Ocyus ergò evacuatio & redditio diversarum civitatum, castellorum & locorum, præcipuè autem, quæ in antedicto Recessu Præliminari descripta, effectui & executioni commissa fuit.

Hoc sine partium Suecicarum Commissarius superior Schorrius, cum Cursore Noriberga Pragam raptus, à supremo militiæ Sueco-regiæ Consilio mandata attulit, non solum tribunum Copæum, cum præsidio ex Parva Pragensium urbe; ( vulgò *die Kleine Seiten* dicta ) sed etiam

jam



jam omnia alia præsidia ex regno Bohe- Anno  
miæ discedere debere. Id quod Copæus 1649.  
Dn. Generali vigiliarum Præfecto Con-  
tio actu tum significandum curavit. Se-  
quenti Sabbatho 15. 25. Septembris, ho-  
plothea seu armentarium in Regia Pra-  
genſi Cæſareanis patefactum fuit, & tor-  
menta aliaquæ, in ſtationibus & propu-  
gnaculis hîc illic reliquenda, petita.

Mercurij 19. 29. ejusdem, poſtquam  
Dn. Generalis rei armamentariæ Præfe-  
ctus à Goltſch Pragæ appuliſſet, & tribus  
machinarum fulminibus ex veteri civita-  
te exceptus fuiſſet, ſtatim poſt meridiem  
cum Domino Gener. vigiliarum Directo-  
re Contio, in maiorem Inſulam (Venetia,  
vulgò *der Waſſerhoff* dicitur) avectus,  
cum Dn. Generali V Vittenbergio, qui  
cum Dn. tribuno Copæo, & aliis Offi-  
cariis ex theriotropheio iſtîc aderat, de  
inſtituenda deductione collocutus eſt.  
Inde conſumpto procænio, diſceſſum:  
qua eadem deinde veſpera etiam Collo-  
bratius adventavit.

lovis 20. 30. Sept. octava antemeri-  
diana Dn. Comes Contius denuò ad Dn.  
Generalis V Vittenbergium proceſſit, ubi  
unà cum Cæſareani armamentarii custo-  
de, claves pro armamentario accepit, at-

Anno  
1649.

que interea Suecico Receptori quadraginta quatuor Imperialium millia adnumerata fuere. Circa undecimam Dominus Goltschius iterum ad Domin. Generalem V Vittenbergium, ut & Domin. Generalis Commissarius de Collobrat, in theriotropheium ad prandium vecti, fulminantibus octo dimidiatis muralibus excepti sunt, & Suecicis simul legionibus signum ad abitum redditum.

Ipsa undecima in omnib<sup>9</sup> Suecicorum stationibus ad ingrediendum iter pulsata tympana sunt: ubi postea hora 2. Cæsareani 300. numero legionis V Vallensteinicę ex Veteri civitate in parvam urbem ingressi, in ponte, portis & aggeribus Suecicorum stationes occuparunt. Inde illi omninò egressi, in arca arcis Retschiniî constiterunt, ubique solutis simul in applausum sclopetis, concinno ordine per arcem & pontem à pulvere dictum, 1200. numro, Diistandem volentibus, loco excesserunt. Ab inferiori munimenti parte in patulo campo, hora una & dimidia ulteriora Ducis sui iussa præstolati sunt; iisque datis iterum bis sclopetis in clangorem solutis, Germani à Suecicis seiuncti: illi à Domino Copæo Egram; hi Brandisium versus, at porrò Grabesteniū abdu-

abducti sunt. Dn. Generalis V Vittenber- Anno  
 gius & ipse eadem adhuc vespera secutus 1649.  
 est, conductus à Dn. Generali Commis-  
 sario, quorum uterque & Goltschius &  
 Contius circa septimam in civitatem re-  
 diit. Et cum sequenti Veneris 21. Sept.  
 1. Octobris pecunia ex Silesia & Moravia  
 duobus pilentis Pragam advenisset, eam  
 Dn. Comes Contius è vectigio ad Dn.  
 Generalem Wittenbergium avehendam  
 mandavit: Ita ut evacuatio sive deductio  
 hæc omninò feliciter processerit; nec so-  
 lum urbs parva, quam vocant, unà cum  
 arce regia; sed etiam simul omnia alia lo-  
 ca circumiacentia, puta Taborium, Ca-  
 nopitium, Brandisia, Lytomicū, Grab-  
 stenium, Fridlandia, Brixia & Egra, Sue-  
 cicis præsiidiis exinanita, & vice versa à  
 Cæsareanis possessa fuerint.

Re confecta, Solis 3. Octobr. 23. Sept.  
 ob partam patriæ pacem, & restitutionē,  
 quæ jam dixi, locorum, solenne festum  
 gratulatorium in templo metropolitano  
 celebratum, & hymnus D. Ambrosij &  
 Augustini, &c. decantatus: postea à præ-  
 sidio pedestri, V Vallensteinico & Con-  
 tiano, (è quorum legionibus quatuor co-  
 hortis Parvæ urbi immissæ, reliquæ verò  
 diversis stationibus distributæ erant,) ex  
 B s sclopetis,

Anno  
1649.

sclopetis, itemque ex arce, & in omnibus  
tribus civitatis partibus, ex compluribus  
machinis, quâ maioribus qua minoribus,  
clangor gratulatorius ter excitatus fuit.  
Actui intererat ipse etiam Gen. rei arma-  
mentariæ Prefectus Goltshius, & Comes  
Contius, plurimi etiam Officiarii, & in-  
gens populi frequentia: tantoque omnia  
agebantur plausu & voto, ut maximæ par-  
ti vis lætitiæ lacrymas expresserit: Ertan-  
tum de Praga & Bohemia.

*Augusta  
& aliorum  
locorum.*

Redeo jam ad Augustam: Ubi cum  
tuguriola excubitorum, furca etiam, & asi-  
nus Justitarius, subruta, & 21. Septemb.  
1. Octobris, tres posteriores cohortes  
Nersianæ discinctæ essent, Dn. vigiliarum  
Magister claves civitatis & armamentarii,  
præsentibus Dn. Gen. Royero & pro-  
tribuno Lüzavio, tanquam Cæsaris &  
Suecicorum Deputatis Senatui reddidit.  
Hinc duæ graviores machinæ ex area in  
armamentarium reductæ, & ita celeberrima  
Augusta, ut & Lindavia, Uberlinga,  
Meinavia, Langenarchia, Dona Wertha,  
munimentum Reinense, & VViltzbur-  
gum, cum aliis pluribus, suo milite eva-  
cuatæ & expurgatæ sunt. Inde 3. Octob.  
St. N. Dn. Gener. Royerus Memmingam  
iter fecit, eandem ibi evacuationem pro-  
curaturus.

curaturus. Quamobrem 6. Octobr. St. Anno  
N. Cæsareani & Bavarici ex Hohenasper- 1649  
ga, Hohenaurachio, & Memingia edu-  
cti sunt. Antequam autē Uberlingia sece-  
derunt, Dn. tribunus V. Viderholdius, Ca-  
stelli Duelliani providus custos, Uberlin-  
giam, Suecicis, aliisque ad lacum Boda-  
micum hybernantibus turmis, valedictu-  
rus, profectus est: simul etiam visurus,  
quomodo machinæ, quas Corona Sue-  
ciæ Duci V. Vürtembergico dono dede-  
rat, inde in tractum Hegavianū amoveri  
possent. In evacuatione Lindaviæ sequens  
processus actus: Postquam 3. Septembr.  
Rector Præsidi, Dn. Comes Montfor-  
tius, militi, ex res duo quorundam men-  
sium stipendio, semel atq; iterum rebelli,  
2 $\frac{1}{2}$ . menses exolvisset, & Dn. Gen. Duglas-  
sius navi quadam Uberlinga Lindaviam  
advectus esset, ad suscipiendam profe-  
ctionem duob. dimiditatis muralibus, &  
uno basilisco tessera data: quorum egres-  
sus Lindaviæ, Uberlingiæ, Meinaviæ, &  
Langenarchiæ, circa tertiā, numero 800.  
factus. Dn. Gener. Duglassius nomine  
Coronæ Svecicæ Duci V. Vürtembergico  
14. machinas dono exhibuit, quæ Duell-  
ium: viginti verò, cum multis armis &  
commeatu tormentario, Lindaviam &  
Brigantiam abductæ: 120. cives armati,  
20. vel

Anno  
1649.

20. vel plures milites à civitate, ad sustinendas portarum vigilias, conscripti, & 3. Octobr. festum votivum solenniter celebratum fuit. Ex his, qui ex Uberlingia, Langenarchia, & Meinavia, sub ductu Dn. tribuni Volckmanni, emigrarunt, & in Coronæ Suecicæ ministerio militari permanserunt, quidam in itinere gregarii non erubuerunt in seditionem insurgere; sed Dn. Gen. Duglassius 18. sceleris artifices in vincula conjecit, & instituto examine, septem, inspectante legione, suspēdio ornavit: Tūm postea etiam Elchingiæ novem per virgas flexiles egit; reliquis autem duobus flagitii impunitatem largitus est.

*Ratispona, patria  
mea, dulcissima.*

Sic etiam, cum Sabbathi 15. 25. Sept. decrecente die, Dn. Tribunus de Corona, tanquam Commissarius S. Cæs. Majestatis, & Dn. Protribunus Comes ab Hohenloë, Coronæ Suecicæ Commissarius, Ratisponam venirent, conventam deductionem 20. 30. ejusdem, executioni daturi: sequenti Lunæ 7. 27. à meridie cohortes, quæ ex diversis legionibus numero 235. Civitatis adhuc hospitia premebant, partim duobus navigiis Danubio Linzium; reliquæ verò, putà ex Gallasiana, Contiana & Mandesloica legionibus, terra

terra Pragæ amandatæ sunt. Hoc facto, Anno  
 20. 30. eiusdem, vetus præsidium Cæsa- 1649.  
 reum, numero 600. quod quatuor tri-  
 buni, Nitrumius putà, Reinacherus,  
 Briessigellius, & Henricus Crafft rege-  
 bant, insecutum: quamobrem 19. 29. ex  
 omnibus excubiis & stationibus avocatum  
 fuit, & sequenti luce cum sacculis & car-  
 ribus, per pontem Leppersdorfium abi-  
 vit. Eodem die Ephorus præsidii, in mu-  
 nimento prati, quod *Wissenschaften* dixe-  
 runt, inter utrumque Danubii ambitum  
 artificium pyrobolarium exhibuit. 21.  
 Septembr. 1. Octobr. senatui, magno  
 civium gaudio, claves restituit, & ipse ipsa  
 adhuc vespera navim conscendit, in qua  
 pernoctavit. Veneris autem patrum Ca-  
 pucinatorum missam frequentavit, postea  
 secundo flumine iter duxit. Quod ex  
 proventu tormentario adhuc in civitate  
 reliquum, globi scilicet pyrobolarii, funi-  
 culi, machinæ, pulvis, & id genus alia, dua-  
 bus majoribus navibus impositum, & pro-  
 no fluvio commissum; quod verò non  
 abducibile putabatur, à Cæsare civitati  
 donatum fuit: cui S. sua Majestas de eli-  
 beratione gratulandum mandavit, polli-  
 cita sese fidelitatem in posterum clemen-  
 ter repensaturam.

Deinde

Anno  
1649.

Deinde . . . Octobr. auspiciis amplissimi Senatus in tribus Evangelicorum templis, ad SS. Trinitatis nempe, novæ Parochiæ, & D. Osvaldi, festum pro parta patriæ pace votivum, communicando, gratias agendo, aliisque devotionis generibus, egregio Musicorum, tam vocalium, quàm instrumentalium concentu, cui etiam tympana ænea suaviter admurmurabant, publicè actum. Quod Germanicarum Scholarum moderatores juventute sua cum primis ornabant; quæ sertis ex roremarino, aliisque floribus decora, incedebat, virides frondes, auro & argento obductas, manibus gestans. Populi tantus erat accursus, tantus Zelus & conagustatio, ut ex magnitudinæ gaudii, pia per plurimorum genas flumina provolverentur. Quibus ut & ego, quippe author Relationis hujus, palmam addam, inclito dulcissimæ patriæ meæ Senatui, cæterisque concivibus meis, sequenti epigrammate animitùs gratulor:

### VOTUM AUTHORIS.

**D** *Vlce Solum Patriæ, RATIS - inclytâ  
PONA, peracta  
Iam lustra ante octo, quæ vice matris  
eras,*

*Vrbs*



Urbs adamata, mihi quondam qua larga Anno  
dedisti, 1649.

Et vitam, & mores, & bona plura  
satis:

Austriacas donec primùm de vectus adoras,  
Vidi delicias ampla Vienna tuas,  
Pannonicumq; solum didici calcare secutus,  
Quò mihi monstrabant tum mea Fata  
viam:

Tot tibi pro meritis qua condere carmine  
vota,

Quasve queo grates commemorare  
meas?

In primis tali reparata tempore pacis,

Quo Status in melius transit, Alma,  
tuus.

Gratulor ex animo, quoniam tibi reddita,  
jam nunc

Vite sub, & ficu, tuta sedere potes.

Stet tibi longa Salus, nulla mutabilis ævo!

Stet Pax! Stet prisca Religionis honos!

Donec ad aethereas e mundi carcere sedes

Exciti, æterna pace fruemur. ave!

**C** Ressum jam ex Bavaria in Palatina. Restitutio  
tum fero: Ubi in superiori, Suecici Palatina-  
mense Septembri, non tantùm probè fir- tus supe-  
matum oppidum Neoforum, sed etiam rioris &  
arces, V Valdeciam & Falckenbergiam, inferioris,  
vigore evacuationis præliminaris Bavari-  
cis re-

Anno  
1649.  
&  
1650.

cis restituerunt, & suas inibi degentes cohortes V Veidenam, quam adhuc in potestate, habebant, abduxerunt; quarum è contrario Bavarici possessionem apprehenderunt: in Inferiori autem vice versa, Martis 15. Septembr. 5. Octobr. nona ante meridiana Bavarica præsidia ex Heidelberga, Manheimio, & aliis eius tractus arcibus, deducta, exque Dn. Dn. Carolo Ludovico, Electori, Palatino Rheni, &c. restitutæ sunt. Essent p'ura, Candide Dn. Lector, quæ digna relatu adjungere voluissemus; sed abrumpit, fervidior quidam impetus Mercurium nostrum ad convivium, quod Celsiss. Coronæ Sueciæ Generalissimus, Dn. Dn. Carolus Gustavus, Comes Palatinus Rheni &c. Noribergæ, pro felici novæ pacis auspicio, celebrat.

*Conviviū  
augurale  
Noriber-  
ga.*

Interimisticum sive protemporaneum Recessum utraq; jam pars subscripserat: eiusque vigore Celsissim. Coronæ Sueciæ Generalissimus, Dn. Dn. Comes Palatinus Rheni, &c. in executione occupatus, multas legiones dimiserat, locaq; multa restituerat, de quibus superius dictum, alia etiam restituenda mandaverat, & funesto triginta annorum bello colophonem tandem impositurus, suarum jam  
partium

partium ducebat, ut universis amandatis Anno  
ad hanc actionem pacificatoriam Statuū 1649.  
Legatis convivium pacificum, in gratia- &  
rum actionem (omnis enim hæc conclu- 1650.  
sio soli Deo, summo belli pacisque mo-  
deratori & arbitro ascribenda) adorna-  
ret, ad afficiendum excellentissimos Dnn.  
Legatos & Deputatos omni amoris & ob-  
servantiæ cultu; ut eo ipso certiores fie-  
rent, laudatissimam Sueciæ Coronam nil  
mage in votis habere, quam ut Imperium  
Germanicum ex pactis conventis in sta-  
tum tranquillum restituat, atq; in acqui-  
sita sua libertate relinquat.

Quocirca magnum Curia Noriber-  
gensis atrium, tanquam locus præcæteris  
spatiosus & accommodus, petente ipsius  
Celsitudine, à prudentissimo Reipubl.  
Senatu, ad agendum ibi cōvivium, bene-  
volè permissum. Atrium hoc fornicato  
opere in magnam altitudinem assurgit,  
& rosis aureis, foliata etiam cælatura pi-  
cturavè artificiosè exornatum, multis in-  
super candelabris, è parietibus proten-  
dentibus refertum conspicitur. Et jam  
tribus majoribus coronis inter sex arcus  
propendulos, quos triginta florum fru-  
gumvè genera, concisis auri-laminulis  
colligata ornabant, conspicatius redde-  
batur,

Anno  
1649.  
&  
1650.

batur. Quatuor eius angulis quatuor  
chori Musicales, & inter eos duo architri-  
clinia constituta: Nec non tam cella, quã  
culina, sua suppellectile probe instructa  
sistebantur. Convivæ erant, 1. Excellen-  
tiss. Dn Dn. Plenipotentarius Imperat.  
Romani, & Celsiss. Dn. Dn. Elector Pa-  
latinus: invitati per Comitem & Tribu-  
num Kinskium, & Dn. tribunum Mose-  
rum. 2. Dnn. Dna. Electorum Legati;  
invitati nomine Celsiss. Dn. Generalissi-  
mi, per Dn. Residentem Schnolskium, &  
Dn. Tribunalium Pfulium. 3. Principes, qui  
tùm Noribergæ degebant, invitati per  
Dn. Tribunalium Görzkium, & Dn. Tri-  
bunalium Doringium. 4. Principum Lega-  
ti, invitati per Dn. Protribunalium Oxen-  
stiernam, & Dn. Provicarium Taubium.  
5. Comites, qui tum temporis Noriber-  
gæ commorabantur; invitati per præta-  
ctos Dominos. 6. Civitatum Legati, in-  
ter quos nomine senatus Noribergensis  
interfuerunt, Dn. Führerus & Dn. Grund-  
herrius, invitati per Dn. Agentem Bar-  
thium, & Dn. Protribunalium Essig; quo-  
rum sessiones ex tabula quadam, de hoc  
convivio augurali in publicum evulgata,  
liquent, quò lectorem remittimus, nos  
autem brevitatis causa omisimus.

Sequente

Sequente Martis 25. Sept. 5. Octobr. Anno  
 sex hæ nobilissimorum convivarum clas- 1649.  
 ses circiter duodecimam coeuntes, in sex  
 separatis conclavibus convenerunt. Et  
 transacto quidem sessionis ordine, Mare-  
 scallus aulicus, Dn. Schlippenbachius pri-  
 mum civitates, deinde Comites, porrò  
 Legatos, postea ipsos Principes & Electo-  
 rē, tandem etiam Excellentissimum Dn.  
 Dn. Generalem Cæsaris Vicarium, Du-  
 cem Amalfæum, & Electorem, in atrium  
 ad epulum introduxit, eoque ordine, quo  
 ad sedendum venerant, prudenter cir-  
 cumstitit, ita ut factis precibus quisque  
 loco suo confederit. Interim, dum ab-  
 luendis manibus aqua quinque argenteis  
 cantharis circumfertur, symphoniaci hy-  
 mnum Divorum Ambrosij, Augustini &  
 Bernardi, *Te Deum laudamus, &c.* alios-  
 que plures postea Psalmos, præsertim quo  
 Chorus cælestium cohortium, nato re-  
 cens Christo, pacis Principi & satori, ac  
 clamavit: *Gloria in excelsis Deo, ac in ter-  
 ra pax, hominibus bona voluntas, &c.* gra-  
 viter & suaviter modulati sunt.

In tabula apposita steterunt fercula duo  
 maiora, spectandi gratia adornata: & in-  
 ter ea fonticulus aqua rosacea scaturiens,  
 quam compressus aër in altitudinem ju-  
 cundè

Anno  
1649.  
&  
1650.

cundè agebat. Qualibet tabula quadraginta pedes longa, in superiore sui parte maius quoddam spatium pro Duce Amalfæo, itemque pro Dn. Dn. Electore, & Dn. Dn. Principe Palatino, Carolo Gustavo, habebat. Primus cibariorum missus consistebat in nobilissimis iusculis, & omnis generis percoctis eduliis: alter missus ex asso, avibus putà, carne ferrina, &c. conformatus erat: tertius constabat ex piscibus multorum generum: quartus ex carnibus conditis prodibat. Quolibet missu oblata centum quinquaginta fercula, pretiosissimè confecta. Quartus ex frugibus hortensibus adornatus erat quæ partim argenteis patinis adferebantur, partim ex arboribus propendebant, quibus tota tabula oblecta, oculos tantorum convivarum jucundè pascebat. Inter arbusta hæc videre etiam erat monticulos quosdam, optimæ fragrantia generativæ: ita ut ne solum palatum gustusve exquisitissimorum esculentorum dulcedine afficeretur, & quæ simul gratius bibendi rationem conciliarent; sed etiã audirus suavissimo symphoniacorum artificio; imò & visus argutis & emblematicis ferculorū efformationib⁹, quin et. olfactus grata jucundissimi odoris

rumi-

ruminacione mirificè oblectaretur; quan- Anno  
ta munificentia ab omnibus venerandi 1649.  
hujus confessus membris nunquam visa. &

Deinde superiore tabula particulatim 1650.  
sublata, mensa adpositis discis, mantili-  
bus, nec non dispersis variis florum for-  
mis saccharo conditis, de novo instructa  
adstabat. Pone secutus sextus discopho-  
ri missus, obsoniis ex saccharo commixtis,  
spectabilis, additis duobus ingentis ma-  
gnitudinis panibus Martiis; bajulantibus  
eos duabus altioribus phialis, quarum u-  
traque viginti marcas argenti æquasse di-  
citur. Hic, ut & ferè omnes priores mis-  
sus, in quibus adparandis duodecim co-  
qui scientiæ artificium concelebrandum  
proponebant, pulchellis flosculis decori,  
visu admirabiles erant.

Cum postea S. Cæsareæ, & Regiæ Sue-  
ciæ Maiestatum, sanitas, nec non pro fe-  
lici pacificationis Germanicæ auspicio, bi-  
beretur; sedecim ad id ex Castello machi-  
næ in fulmina solutæ, & Castrensis, tubi-  
cinum & tympanotribarum, musica, re-  
liquis per vices symphoniacis graviter ad-  
stipulata fuit.

At ne tantæ magnificentiæ comes ve-  
ræ virtutis deesset, Pietatem & misericor-  
diam intelligo, pauperibus duo boves,  
C 3 magna-

Anno  
1649.  
&  
1650. magnaque panis copia, erogati. Stabat  
insuper extra fenestras Leo, qui altero pe-  
de anteriori palmam, altero gladium me-  
dio ruptum, tenebat, ex ore rubrum &  
album vinum, sex horarū spatio, & quod  
excessit, provomens, quem avidæ plebis  
numerosus accursus valdè coangustabat.  
Tam egregii autem Principis beneficen-  
tia à nemine non laudibus in cœlum ef-  
ferebatur, & ei tanquam benefactori to-  
tius Germaniæ, salus & victoria, à magno  
terrigenūm præside, Deo ter optimo, ma-  
xumo, elargienda, exoptabatur.

Convivium hoc augurale, cum horis  
quibusdam in noctem excurreret, tanti-  
tandem Heroes aliquo sese exercitio mi-  
litari exhilaraturi, arma, bombardas, gla-  
dios, hastasve, in atrium adferenda man-  
dant, Officiarios legunt, (inter quos Dux  
Amalphæus, & Dn. Dn. Generalissimus,  
Centuriones agunt, Dn. Campi - Mare-  
scallus Wrangelius manipuli Præfectus  
constituitur, Dn. Dn. Elector fit ordinum  
structor, tribuni & protribuni, pro sclope-  
tiferis incedunt, circum tabulas gradum  
movent, bombardas displodunt, & quasi  
& ipsi emigraturi, justo ita ordine in Ca-  
stellum iter ingrediuntur, ubi machinæ  
multoties in mugitum exsolutæ; in redi-  
tu autem



tu autem à Dn. Cæl. tribuno Ranffio, Anno  
 cùm nimirum reducta jam sancta pace 1649.  
 ipsorum opera & ministerio militari opus &  
 amplius non sit, facta gratiarum actione 1650.  
 per jocum & ipsi dimissi & exauctorati  
 sunt. Ubi postera luce Dn. Dn. Gene-  
 ralissimus artificium pyrobolarium ma-  
 gnis sumptibus comparatum, spectan-  
 dum exhibuit.

Quæ superficialis quæpiam narratio  
 convivij auguralis est: Ita ut ne dubium  
 sit, etiam quod reliquum transactu, bre-  
 vi, totius Germaniæ voto fructuè, ad fi-  
 nem feliciter perductum iri, cui Princeps  
 Principum clementer annuat.

---

PRIMUM FERCVLVM.

*spectatorium.*

**O** Culorum pascendorū causa adpo-  
 sita duo illa maiora fercula, de qui-  
 bus superius scripsi, referebant, primum  
 quidem arcum Concordiæ triumphalem,  
 hac ornatum epigraphe;

*Arcus triumphalis Concordiæ, Ferdinan-  
 do 3. Rom. Imperatori, &c. Christina, Suec.  
 Goth. & Vandalorum Regina, &c. Ludo-  
 vico XIV. Galliarum Regi, &c. ob feliciter*

C 4

*paca-*

Anno  
1649.  
&  
1650.

40

*Mercurii Gallobelgici*

*pacatam Germaniam, à Carolo Gustavo,  
Palatino Rheni positus.*

*Ex latere adscriptum.*

*Aurea felici sociantur sidera nexu,  
Illustrat belli nubila temperies,  
Pace benignus amor: jungit Cōcordia corda:  
Terra trophæa gerens, astra serena refert.*

CONCORDIA.

Schedulam tenens, multis Nullitatibus  
orbicularibus sive Ziphtris inscriptam,  
hoc lemmate:

— *unumq, necesse est.*

DISCORDIA DEMORTUA.

— *vitium discordia semper  
excitat.* —

VICTORIA DORMIENS.

— *alata heic victoria dormit.*

Septem Planetæ, cum suis emble-  
matibus.

I. SATURNUS.

— *aurea succedant secula ferrigenis.*

M A G N E S.

— *unum modo respicit astrum.*

II. JUPITER.

— *nunc rauca tonitrua ponam.*

Trucina

Trutina olivæ & gladii:

— *sic trutinat pietas.*

Anno

1649.

&

1659.

III. MARS.

— *Gladium vagina recondat.*

Arcus remissa fide.

— *indulgere juvat.*

IV. SOL.

*Post nubila clarior exsto.*

Iris vespertino tempore imminens:

— *divine nuncia Pacis.*

V. VENUS.

— *germano nectantur pectora amore.*

Tria corda una flamma ardentia;

— *inflammant nexus amoris.*

VI. MERCURIUS.

— *bona nuncia pacis  
perfero.*

Circulus tripes.

— *uno clauditur orbe Trias.*

VII. LUNA.

— *rerum facies lunata novatur.*

Serrula rotatilis, cum his literis  
aperta:

— *Pax grata resolvit.*

C S

Incerius

Anno

1649.

&amp;

1650.

Interiorius:

*Pax cuncta serenat.*

## ALTERVM FERCVLVM

*ſpectatorium.*

**E**Rat mons ſexangularis, tribus partibus diviſus; quarum prima ex parte Cæſareanorum, frugibus repleta: altera ex parte Suecicorum, nivolis alpibus rupibusq; horrida: tertia ex parte Gallorum, floribus referta, ſpectabilis erat. Monti inſtebant, tres Nymphæ, diſtincto ex coloribus ſecialium veſtitu, Imperium Romanum, regna Suecorum Gallorumvè referentes, ſertum etiam ex oleaſtris geſtantes, his in margine inſcriptionibus in hebeno aureis literis exaratis:

*Pax una Coronis  
innumeris potior.*

I. Inferius in latere, quod ex parte Cæſareanorum frugibus adornatum dixi, duo hæc emblemata ſtabant:

1. Aquila nido inſidens,

*— majestate quieta.*

2. Gallina ſub ficu & vite, ova excludens:

*— hac umbra quietem  
largitur.*

II. In la-

**II.** In latere Suecorum hyberno, itidem Anno  
duo emblemata, quorum primum erat 1649.  
Leo, super clypeo & gladio adjacens, epi- &  
graphie hac: 1650.

— *adamat Concordia curam.*

Alterum: Maxilla Simsonis, qua,  
tanquam instrumento belli-  
co, & Philistæos cæcidit, & ex  
ejus simul scaturigine in spe-  
ratò salutem nactus fuit: ubi  
legere erat,

— *Pax in sperata salus.*

**III.** In latere Gallorum florulento,

1. Gallus galeæ insistentis;

ubi,

— *Vigilantia felix.*

2. Olea, veteri caudice pressa,

his verbis:

— *succrescat ramus olive.*

In iplo monte, tres venti spirabant,

*Eurus*, videlicet sub Austria:

*Aquilo*, sub Suecia: *Auster*, sub

Gallia.

In lapide vero quopiam legendum  
erat:

— *in pacem conspirant undiq; venti.*

Et hoc, Candide Domine Lector, illud  
est, cujus de subsecuta subscriptione Re-  
cessus Præliminaris notitiam, ad te venire  
volui.

Anno 44 *Mercurii Gallobelgici*

1649. volui. Faxit DEUS, ut apparentibus ita  
& causis, etiam pacis effectus sine mora se-  
1650. quatur.

*Gesta in  
aula Im-  
peratoris,  
notatu di-  
gniora.*

Viduus interim Cæsar, cum Rege Hun-  
gariæ & aulicis, quodam abhinc tempore  
Ebersdorffij commoratus, conceptam ex  
obitu Augustæ MARIÆ LEOPOLDINÆ  
(de qua pagin. 108. 109. 110. Relationis  
præcedentis) mœstitiam aliquantum so-  
labatur. Postea 11. 21. Septembr. cum  
universa iterum aula viam Viennam fle-  
ctebat. Quò 19. 29. ejusdem Internun-  
cius Schmidius Constantinopole redibat,  
quem simul quidam Turcici Imperatoris  
Legatus pomposo introitu sequebatur.  
Eos tres cohortes Officiariorum aulico-  
rum, cum ipsorū ministris, sub ductu Dn.  
Comitis Buchemij, Cæsarei Cubiculi  
Præfecti, cum tympanis castrensis &  
tubicinibus excipiebant: nec non 2. co-  
hortes Senatus civici Viennensis, interio-  
ris & exterioris, ut & præcipuæ fortunæ  
mercatores, sub ductu Consulis, qui duo  
prope milliaria ipsis obviam proficisce-  
bantur. Corpus civium à porta usque ad  
hospitium in armis stabat. Expeditio-  
nis fructus & effectus erat, confirmatio  
pacis ad annos viginti, cum egregiis mu-  
neribus. Legatus Turcicus ante sese pro-  
ducendos

ducendos curabat duos insignioris notæ Anno  
 equos, gemmis, auro, serico & holoserico 1649.  
 exornatos, & de cætero immani magnifi- &  
 centia sese conspiciendum dabat. Is Mer- 1650.  
 curii 3. 13. Octobr. ante meridiem Cæ-  
 saris audientia utebatur, cui inter alia  
 2000. boum, itemque conspicuum ali-  
 quem equum, 2000. Imperialium pretio  
 æstimatum, dono obulit, rogitans, ut in-  
 clytus Cæsar aliū Legatum, cum ratifica-  
 tione prolongatæ pacis amandaret. Re-  
 sponsum ferebat, intra paucos menses a-  
 liquem Constantinopolim expeditum  
 iri. Atque simul 600000. illa Imperia-  
 lium, quæ Imperator Turcicus, tanquam  
 tributum ordinariū, hætenus postula-  
 re solitus, sublata. Vice versa conven-  
 tum, ut altera alteri in posterum parti mu-  
 nus, ad summum à 6. usque ad 10000.  
 florenorum, non quidem ex debito, sed  
 in signum conservandæ amicitia & con-  
 cordiæ, transmitteret. Comparatum er-  
 gò munus 40000. florenorum, Legato  
 Cæsaris, ejusque ministris, cum eo Con-  
 stantinopolim abituris, committendum:  
 & erant aulici in Excellentissimo Domi-  
 no Schimidio, præmii loco, officij feliciter  
 peracti, in Baronum ordinem extollen-  
 do, occupati. Inde Sabbathi 1. 11. Septe-  
 Dny

Anno  
1649.  
&  
1650.

Dn. Dn. Ludovicus Landgravius Hassiæ, accepta expeditionis satisfactione, Venetias iter convertit. Eò è contrario adpulit 14. Octobr. Dn. Dn. Carolus Princeps Poloniæ, à Rege fratre Legatus missus, à Marescallo aulico triginta carpentis exceptus, & magnificè introductus; cuius non alia expeditio, nisi quòd ob fato functam Augustam, Augusto Cæsari condoluerit, & pacem cum Cosaccis sancitam annunciaverit. Jovis 2. Decembr. 22. Novembr. viam iterum ingressus in Italiam fuit. Interim Dn. Dn. Christianus, Dux Megapolitanus isthuc adventavit, de ejus expeditione aliàs dicendi locus dabitur. Venerat etiam istuc sub ingressum Octobr. Legatus Episcopi Bambergensis, ad accipiendum pro Dn. feudi investituram; quamobrem Lunæ octavæ ejusdem St. N. incliti Cæsaris audientia usus, solitis eam solennitatibus & ceremoniis obtinuit. Paucis post diebus etiam Legatus quidam Gallicus aulam Augustam repetiit, qui Mercurii 17.7. Novembr. cum religiosissimus Cæsar Festum Sti. Leopoldi, tanquam singularis Inferioris Austriæ Patroni, præterita Lunæ in cœnobio Neuburgensi, unà cum potentiss. Hungariæ Rege solenniter celebrasset, audientia usus



sus fuit. De genere autem commissi ne- Anno  
gotii, nihil prodibat in publicum quod 1649.  
etiam superius de Polonico dictum, qui &  
viduo Cæsari de obitu conjugis condo- 1650.  
luit. Tantum de Aula augusta.

De missione cohortium Cæsareanarū  
in præcedente Relatione nonnullam mē-  
tionem injeci; id negotij hæctenus qui-  
dem aliquantum continuatum, & omnis  
Croatarum turbo in unam legionem, sub  
s. signis, reductus fuit. At cum de causa  
pacificatoria Noribergæ pertractata, varii  
rumores spargerentur, datum de novo  
mandatum, ut dehinc res usque ad ple-  
num exitum sisteretur: Inde Austriæ in-  
ferioris Ordines legiones suas, quæ ipso-  
rum penates excruciabant, de novo ad  
quadrimestre sustentandas, receperunt.  
Ad levandam autem oneris duritiem S.  
sua Cæs. Majestas per Dn. Comitem Bu-  
chemium cum Hungaricis Ordinibus a-  
gendum mandavit: Primò, petere Cæ-  
saream suam Majestatem ab Inferioris  
Austriæ Ordinibus provincialibus, tam  
ratione anni, qui proximè effluxit, 1649.  
quàm etiam ratione præsentis 1650. du-  
plicatum censum, ad conservanda præsi-  
dia versus hostem Christiani nominis ex-  
cubantia, 2. ut legionibus & cohortibus,  
quæ

Anno  
1649.  
&  
1650.

quæ in hoc Archiducatu infra Anisum consistant, usque ad exitum tractatum Noribergentium adhuc de alimentis provideant. Ut 3. ad amandandū, nec non ad excipiendum, quem inde, pro stabilienda prolongatæ pacis causa expectet, legatum Turcicum, ut & ad sustentandos suos in diversorum Regum aulis commorantes Legatos, itemque, quos adhuc Noribergæ Plenipotentiaros & Commissarios habeat, nec nō pro expensis tam sui ipsius, quam etiam status aulici, quotidie ferè emergentibus, 200000. florenorum, duobus terminis, sancto scilicet festo Pentecostes, & D. Martini, exolvenda: Peteret etiam 4. ex frugibus futuræ messis 700. medimnos frumenti, ex sui solius arbitrio eroganda: Deinde, ut 5. de subsidiis cogitent, pro oppidis pagisvè, hætenus præ aliis sub oneribus bellicis fatigatis, conferendis; ne scilicet, tanquam fidelia commembra sub extrema penuriæ angustia succumbant. Quæ Ordinum sententia, quove quoto collaturi sint, inferius palam fiet.

*Hungarorum gesta.*

Statum rerum Hungaricarum in præcedenti Relatione pag. 33. tetigimus. Turcæ ergò, cum hîc illîc excurrendo, non leve provinciæ damnum darent, in

*Con-*

Conventu, quem postremum Hungariæ Anno  
 proceres Posonii habuerunt, inter alia 1649.  
 conclusum, ut 1000. Germanicorum di- &  
 macharum ad averruncandam hostium 1650.  
 insolentiam, in præsidia limitanea collo-  
 centur, quorum quædam signa isthoc se  
 sine stiterunt, quæ Turcarum rapiendi li-  
 bidinem bonam partem moderata sunt,  
 & plurimos cepertunt, id quod Bassa Bu-  
 densis acerbè accepit.

Post ingressum Augusti, Turcæ propè  
 Doppelscheiniam iterùm magnum ali-  
 quem pagum Vulcano sacrarunt, abdu-  
 ctis in captivitatem 800. Christicolis:  
 paulò post arcem Drægel ad Archiepi-  
 scopum Strigoniensem spectantè, noctu  
 suæ potestatis fecerunt: quod Cæsar 19.  
 Novembr. Legato Turcico exprobran-  
 dum curavit, qui postera die cursorem  
 isthuc emisit. Interim autem tam excur-  
 sionem, quàm occupationem arcis Dre-  
 gelianæ, oppidiq; Balanccæ, hac specie ex-  
 culpavit, quòd Dn. Comes Serinius antea  
 cohortem Turcicam cæcidisset, 90. truci-  
 dasset, 80. cum equis captivis abduxisset,  
 & tria Turcis signa eripuisset. Omnes ita-  
 que regni Hungariæ Officiarii sive mini-  
 stri provinciales & præsidiales Viennam  
 acciti, deliberatum, quomodo in poste-  
 rum

D

rum

Anno  
1649.  
&  
1650.

rum excursions averruncandæ. Mense  
Octobri Turcæ Jaurinensium finibus  
magna pernicie illata, apud Neuheufeliã  
300. Christicolos acinace delêrunt. In-  
terim, cum Dn. Comes Adam Forgatius,  
loci Gubernator, 600. Husaris & 100.  
Sclopetiferis Germanicis, ad oppidum  
Novigrad accessisset, aliquantum ibi  
constitit, ratus vel captivos accepturum,  
vel prædam facturum: at cum præter uni-  
cum famulum nemo egrederetur, captus  
is fuit. Et porro nemine ulterius obviam  
veniente, recessit, quem 500. Turcæ inse-  
cuti sunt. Sclopetiferi eminus sequeban-  
tur: in hos inveci quidem Turcæ sunt, sed  
ab illis, plaustris ante pro vallo coordina-  
tis, mascula defensione ab incepto de-  
pulsæ sunt. Inde Husaros apud angustias  
quasdam aggressi, majorem eorum par-  
tem ferro sustulerunt. Facta Officiario-  
rum regni Hungariæ convocacione, non  
solum Dn. Palatinus, Dn. Comes Paulus  
Balvius, Budiani & Forgatius; sed etiam  
Archiepiscopus Strigoniensis, Cancellã-  
rius, & universi regni ordines, magno nu-  
mero Viennæ congressi, deliberationem  
instituant, quibus videlicet conditioni-  
bus Cæsareus Legatus ad confirmandam  
pacem, Constantinopolim expediendus;  
Legat-

Legatus enim Turcicus, pacem quidem Anno  
solicite petierat, sed de Hungaris nil certi 1649.  
daturus fuerat. Itaque proceres regni ad- &  
ductis pluribus, iisque prægnantibus ratio- 1650.  
nibus, summo voto à Cæsare flagitarunt,  
ut jam bello locum concedat, in memo-  
riam revocantes damnum, quo Turcæ  
proximè Tribunal Hessel affecissent,  
ubi Christianorum capitibus in saccis ab-  
ductis, Præfectis suis obtulissent, & ultra  
40. pagos contra pacem spolio mactassent,  
subjectis flammis exussissent, homines,  
pecudesvé trucidassent, & in captivita-  
tem abripuissent: Ut inde Oratori Turci-  
co, cum præsertim videret, duo inde na-  
vigia proventu tormentario referta, Go-  
morram abducta, bilis acerbè comora, &  
propterea Cursor Constantinopolim ex-  
peditus fuerit. Interim autem conscripti-  
ones pro proceribus regni continuatæ, ex  
quibus solus Dn. Comes Badianus suis  
sumptibus ad conducendas duas legio-  
nes Cataphractorum mandata dedit, bar-  
barorum rabiem eò feliciùs repressurus.  
Mense Decembri, 21. 11. præcellentiores  
ex iis, ab Oratore apud Dn. Generalem  
Campi-Marescallum, & supremum cu-  
biculi Cæsarei Præfectum, Dn. Comitem  
Buchemium, splendido convivio excepti

Anno  
1649.  
&  
1650.

sunt, ubi Orator Turcicus, præter morem nationis, Baccho liberiùs indulgens, hilariorem se exhibuit: simulque nuncium adpulit, Bassam Budensem propter designatas excursionses sede motum, & loco protosymboli sive supremi militiæ Præfecti, qui decollatus fuit, substitutum. Annuente postea invictis, Cæsare, Legato templum S. Stephani commonstratum, reliquiæ etiam Sanctorum & ornatus Ecclesiasticus, videnda deprompta, majorique organo decantatum fuit. Prima Februarii St. N. postrema apud Cæsarem audientia functus, discessum accepit, animi habens, quam proximè terra, quod fluvius Posonium versus glacie adhuc concretus, non navigabilis esset, iter maturare, cum interim varii generis expolitissima arma, commeatumque tormentarium cœmenda curasset. Quæ autem argentei ovi, quod tanquam munus Imperatori Ottomanidum futurum, tum temporis effigiebatur, ac cum rebus ad id pertinentibus 4000. marcarum peræquabat, conditio seu species fuerit, nihil dum certi ad manus nostras perlatum.

*Belli Gallici in Belgio continuata descriptio.* Egimus priori Relatione pag. 36. &c. de bello ab Hispanis & Gallis in Belgio gesto. Conferruminanda jam est ulterior  
ejus

ejus descriptio. Galli ergò cum circa Va- Anno  
lencenas 5. Augusti irruptionem fecis- 1649.  
sent, Hannoniæ inde graviore facti, mes- &  
sem undiquaque gentium diripuerunt, 1650.  
pagos, & nonnulla etiam Cœnobia, in to-  
tum expoliarunt: positis postea circa Du-  
acum & Arleam castris, magnum panis  
numerum conficiendum curarunt, eum-  
que Basseam abduxerunt. Et tentatis Va-  
lencenis, Duaco, Bucheina, locisque aliis,  
tandem propter copiosiore præsidari-  
orum numerum, pedem ut retraherent,  
adacti sunt.

Vix dictu possibile, quam miserandum  
in modum Gallorum peryicacia regio-  
nem in vicinia Duaci patulam, diripiendo  
& incendendo, circumquaque infesta-  
verit, contemptim evomendo, esse hoc  
ipsis loco suæ valedictionis, & pacem, at-  
que inde orituram amicitiam, dubio pro-  
cul dehinc invicem fraternè observatum  
iri.

Duaco Serenissimus Dn. Dn. Archi-  
dux bonam partem anterioris ex exercitu  
agminis, ad avertendam obsidionem im-  
miserat. Cum ergò præsidarii, 7. Augusti  
800. equitum numero in Gallos, quos  
Dn. Dn. de Villequirt, & Quincé, cum ali-  
is tribunis ducebant, eruptionem fecis-  
sent,

Anno  
1649.  
&  
1650.

sent, ab iis malè accepti, & usque ad portas civitatis in fugam acti sunt, relicta posteriori suorum parte, qui vel capti vel occisi, & inter eos 1. tribunus, & 7. equitum magistri fuerunt, de Officiariis ne quid addam. Ponè totus Gallorum exercitus ex castris apud Atrebatum & Duacum positus, robore 12000. equitum, & 8000. peditum, additis 20. machinis, improvise digressus, Brabantiam impetivit, & præter alia etiam Condæum, situatione sua, quam ratione trium fluviorum obtinet, valdè opportunum, & 13. milliaribus Bruxellis dimotum oppidum, tribus factis insultibus, per modum transactionis, in potestatem egerunt: eoque novis aggeribus exornato, ibi Scaldin transgressi, omnem, qua patuit, regionem, sedulo expoliarunt, & devastarunt, postea Aethiam civitatem, sex milliaribus Bruxellis distantem, invasuri, loco deditioem imperarunt: Sed intellecto, quòd præsidarii animos ad defensionem paratos haberent, viam aliò declinarunt, & ad relinquendam præsentis suæ egregiam scilicet memoriam, pagos & domos quasdam subjectis flammis delèrunt, omnemq; undique Brabantiam eodem modo malè multarunt.

Facile



Facile creditu est, quanto tremore hic Anno  
 alioquin egregius & celeberrimus Duca- 1649.  
 tus, improba hac Gallorum adp[er] operati- &  
 one percussus; quippe plurimi Bruxellis 1650.  
 Antverpiam fuga rapti, miseriam depli-  
 cabant, ut nocte dieque congestus agger,  
 & neque Ecclesiasticis, neque secularibus  
 injunctis pecuniæ contributionibus par-  
 citum fuerit. Venit postea Sereniss. Dn.  
 Dn. Archidux Gandavum, isthinc phalan-  
 ges Hispanicas, quarum opera in præsi-  
 diis carere se posse confidebat, simul et-  
 iam præter recens conscriptas Lamboicas  
 & Wirtembergicas, quædam rusticorum  
 millia convocaturus, Gallorum machi-  
 nationibus opponenda.

Quapropter, cum Galli compertum  
 haberent, Hispanicos cum Wirtember-  
 gicis & Lamboicis supplementis, jam  
 consociatos, itineri se dedisse, viam suam  
 à Condæo, postquam 2000. præsidio fir-  
 maverant, retrò flexerunt. Ast veriti, ne  
 ipsis absentibus loco obsidium adorna-  
 retur, & ita præsidium suum in malam  
 rem abiret, reflexo iterum gradu, id cum  
 6. tormentis avocarunt, instituta versus  
 oppidum, *Chasteau en Cambresis* dictum,  
 profectio, quos Hispanici ex latere se-  
 cuti, Condæum, immisso suo milite, mu-  
 nic-

Anno  
1649.  
&  
1650.

niêrunt, cujus cives Gallis, ad redimen-  
dam exspoliationem, ut quidem de dato  
24. Sept. Antverpiâ ad nos perscriptum,  
2000 Ludoviceorum exolvere oportuit.  
Paucis antè, quàm Condæo proficisce-  
rentur, diebus, cum tres Gallorum legio-  
nes, videlicet Domini de Grandpree,  
Bambachii & Fabri, in Episcopatum Leo-  
diensem excursuræ, & sub nocte Valen-  
cenas, ubi pro tempore Germanicus Hi-  
spanorum equitatus ex Cameraco recu-  
babat, transgressuræ essent, id autem auri-  
ga quidam annonariorum Castrensiùm,  
qui, dum per errorem viâ dimoveretur,  
ab Hispanicis captus erat, renunciaisset,  
quòd nimirum tres has legiones in vici-  
nia adpropinquasse oportuisset, Germa-  
nicus hîc Hispanorum equitatus septem  
legionum numero, tribunorum putà  
Broich, Michel, Daniel, Garnirii, Lauen-  
steinii, Mannart & Custin, unâ cum tribus  
aliis Hispanorum cohortibus equestri-  
bus, festinè congressus, & recta versum  
cas procurrens, inter Crespeniacum &  
Valencenas, tempore matutino conjun-  
ctim obvias habuit, & tentata armorum  
felicitate, primùm quidem in confusio-  
nem, & tandem etiam in fugam disjecit;  
quorum potior pars ex lassitudine capti-  
vam

vam se stitit, inter quos etiam Tribunus Anno  
 Fabri, qui ductor Gallorum, itemque no- 1649.  
 vem equitum magistri, septem signiferi, &  
 aliique minorum gentium Officiarii, pre- 1650.  
 ter gregarios, fuerunt. Hispanicis hac oc-  
 casione duo carpenta se juga, nobiliori-  
 bus mulieribus onerata, quorum alterum  
 12000. Imperialium summam tulit, in  
 prædam cesserunt: octo vexilla equestria  
 tribunus Daniel Archiduci tradenda Dor-  
 nacum attulit; gregarii egregiis spoliis,  
 magno cum primis equorum numero, su-  
 perbi redierunt. Eodem ferè tempore  
 etiam Hispanicus Marchio de Sfondrato,  
 felici ictu Gallos notavit. Eorum enim  
 2000. Dunkerka, aliisque ejus vicinæ  
 locis congressi, Lisam fluvium transire,  
 & excursions agere meditabantur: Sed  
 Dn. Marchio re comperta, sese in viam  
 objiciens, tanto eos *Benevenitis* excepit,  
 ut homuncionum horum Gallicorum  
 non contemnenda pars procubuerit,  
 quod residuum, in priora præsidia festi-  
 navit: & procul dubio acrius adhuc casti-  
 gasset, nisi sufficienti ad id equitatu desti-  
 tutus fuisset. Eadem etiam propemodum  
 clementia Martis Dn. Comes Bassignius,  
 Artesiæ gubernator, usus est. Huic nun-  
 cium afferebatur, Gallis in Lillers, oppi-  
 do in-

D s do in-

Anno  
1649.  
&  
1650.

do inter Bethunam & Ariam sito, vigiliis suas (ex more quidem gentis,) non ita magnæ curæ esse: Summo ergò is inde silentio, acceptis secum 1000. quâ equibus, quâ peditibus, istuc pervolat, noctem secretò degit, sub diluculo autem referatis portis, tria plaustra, militibus tectè referta, præmittit, qui quidem vigiles subigunt, & quosdam, qui defendendi gratia insurrexerant, neci dant: ast dum jugales alicujus vehiculi, quod in ponte constitisse debuerat, gravi tormentorum sclopetorumque mugitu conterriti, loco prorumpunt, & inde pons celeriter in altum extrahitur, Dn. Comes cum residua militum suorum turma exclusus, relicto Capitaneo uno & decem gregariis, re infecta discedere cogitur. Ex iis autem, qui intra portas conclusi, plures in fossas urbicas sese præcipites dantes, natando salutis prospexerunt, castelli interim gubernatore cum pluribus suorum interfecto. Non ita longè post Galli id oppidi deseruerunt, & dejectis antea muniminibus, cives ad redimendas campanas, aliaque sua mobilia, adegerunt: Sed quæ provinciales salvandi causa comportaverant, prædæ ascriptis, cum re tormentaria & annonaria, Bethunam versus se subduxerunt.

Sub

Sub ingressum Octobr. quem antea Anno  
 laudavi, Dn. Marchio à Sfondrato, cum 1649.  
 aliquibus Hispanorum cohortibus mu- &  
 nitum apprimè Castellum *la Motte au 1650.*  
*Bois*, inter Ariam & Ypram situm, & à  
 400. Gallis infessum, obsidioni include-  
 rat, eò quòd præsidarii hi omnibus ad-  
 jacentibus locis excursionibus suis mole-  
 stiores fuissent, eaq; ad pensandas con-  
 tributiones compulsi sunt. Id ergò elapso  
 quintiduo 2. Octobris, inita transactione  
 deditioem pepigit: ex quo 350. Galli  
 egressi; conterminæ autem Flandriæ civi-  
 tates, cum primis Ypra, Aria, S. Venant,  
 Armentitium, Risselia, pluresque aliæ,  
 malo tandem hoc Plutonico exemptæ  
 sunt, à quibus Galli quotannis 70000.  
 florenorum expresserunt.

Intercurrente tempore, Galli sub regi-  
 mine Dn. Comitis à Harcurt, qui à Rege  
 Galliarum ad supplendum Principis Condæi  
 locum, summus militiæ illius Imperator  
 constitutus, ast ad eripiendum ab Hispa-  
 nis obsessum oppidum, justo serius vene-  
 rat, apud Landresium iter inflexerunt, &  
 Peronam versus aliquantum retrò se re-  
 ceperunt: E contrario Archidux gradum  
 versus S. Amandi, & Risseliam promo-  
 vit, quo peracto nihil ulterius quod scri-  
 pta

Anno  
1649.  
&  
1650.

ptu dignum judicandum, contigit; sed Sereniss. Dn. Dn. Archidux brevi post Bruxellas regressus, exercitum in hyberna dimisit: die 27. Octobr. circa II ante-meridianam, cum exercitus jam in confiniis in præsidia distributus esset, ad quem sustentandum Brabantia & Flandria, aliquam auri summam semestri spatio erogare debuit, Bruxellis solennem ingressum instituit, ubi à civibus, qui armati Ejus Serenitatem præstolabantur, magno honoris & reverentiæ affectu excepta, & tormenta circum civitatem in fulmina soluta sunt.

*Gravis Hispanorum incursus in Campaniam.*

Ne verò inulti Hispani in hyberna digrederentur, Celsissimus Würtembergiæ Dux Udalricus hospitia cum equitatu Germanico in Ducatu Luzenburgico habiturus, in transitu, adscito Ducatus Gubernatore, cum 4000. circiter equitibus Campaniam, quæ versus Gvisium protenditur, carpens, vindictæ causa omnia devastabat, abductis secum mille circiter equis, magnaque pecoris copia. Id quod causa, ut Generali Reinholdo de Rosis celeriter in mandatis daretur, provolandi istuc cum recens collectis agminibus, & facta cum Domino de la Ferte Seneterre, gubernatore Ducatus Lotharingici, con-

jun-

junctione, contraria Hispanis arma ob- Anno  
ciendi. 1649.

Gallicæ hæ phalanges, cum postea ex &  
Alsatia pontem ad Tabernas & Pfaltz- 1650.  
burgum versus transirent; Dn. Gen. de *Quibus*  
Rosis autem intellexisset, Tribunum *Dn. Gen.*  
Randium ex Lotharingicis, elapsis paucis *de Rosis*  
antè diebus, arcem S. Laurentii ad Saaram *objicitur*:  
fluvium Austrasiæ, in potestatem egisse,  
atque etiamnum ibi delitescere, 8 18. Se-  
ptembris suos loco admovit, eumque  
quassandum mandavit: quo facto, mox  
Randius deditionem paciscendam ero-  
gitavit, quæ subsequentibus capitulis ab-  
soluta fuit: ast cum post egressum vicinæ  
provinciales conquererentur, facultatu-  
las suas in arcem salvatas, omnimodò sibi  
subductas, sæpius jam memoratus Gene-  
ralis de Rosis militi suo iniunxit, ut &  
Tribunum, & eius simul commilitium  
detineret, quos cum ille captivos accipe-  
ret, Capitaneus aliquis cum 60 gregariis  
sponte in signa concessit, quem reliquo-  
rum etiam pars potior secuta est. Tribu-  
nus Randius cum quodam protribuno,  
Capitano & quibusdam Officiariis in  
captivitatem educti, ulteriori vel Meti,  
vel in Theodonis villa custodiæ manci-  
pandi: Arx verò deinceps nobilibus, quo-  
rum

Anno  
1649.  
&  
1650.

rum propria erat, sine præsidio restituta.  
Capita deditiois hæc conventa scri-  
buntur: 1. ut Dn. Tribunus Randius  
cum uxore. 2. Capitaneis, omnibus Of-  
ficialiis & gregariis, equis, armis, & impe-  
dimentis, telopetis etiam globis oppletis,  
incensis funiculis, & proventu tormenta-  
rio, cras 10. 10. Septembris hinc egre-  
diuntor, & Bitshæam conducuntor. 2. duo  
ipsis cisia jugalia ad conducendum Bit-  
schæam panem, sexve modios farinae, soli  
Tribuno proprios, conceduntor. Trans-  
actionem hanc Dn. Generalis Vicarius de  
Rosis eatenus servaturum se recipit, si Tri-  
bunus Randius cras 10. 20. octava ante  
meridiana loco cedat, nec quid aliud se-  
cum ex arce auferat, nisi quod intulit.  
Laurentii 9. Sept. 1649.

*Reinholdus de Rosis.*

Reperacta, phalanges Archiepiscopa-  
tum Trevirensis petierunt: & paucis  
inde diebus 500. prope equitibus, 400.  
bombardigeris, tribusque machinis, ad  
St. VVendelini adventarunt, ubi in pago  
aliquo congesto aggere aliquantis per sub-  
lederunt, expectaturi quosdam Nancejo,  
Meti & ex Villa Theodonis legiones Gal-  
licas. Postea superato Mosella, in Duca-  
tum



rum Lützenburgensem se provolvunt, Anno  
 unanimetum V Vasserbillig, Echternach, 1649.  
 locaque alia ignobiliora suæ potestatis &  
 usurpant, Leienburgum verò, quòd Co-1650.  
 mitem à Kiel Dominum salutat, obsidio-  
 ni includunt, unamque legionem Lotha-  
 ringicam disjiciunt, & nullis objectis ad-  
 versis armis, rem pro arbitrio peragunt.  
 Medio autem Octobri, Dn. Dn. Dux  
 VVirtembergicus 3000. præterpropter  
 militibus ex Flandria istuc viam cepit, a-  
 verurus majorem provinciæ depopula-  
 tionem: cum præsertim potior jam nobi-  
 lium pars Leodium & Lützenburgum ex-  
 cessisset. Rosiani ergò cum aliquo tem-  
 poris spatio in Ducatu hic illic latè vagati  
 essent. 9. 26 Octobr. 5. Novembr. infra  
 Metim Mosellam transgressi, 31. Octobr.  
 10. Novembr. Reinichia, ubi Saara in  
 Mosellam se exonerat, hospitia legerunt.  
 Tum 4. 14. Novembr. quædam Hispa-  
 norum turmæ, ex adverso Gallicarum sta-  
 tionum sese conspiciendas dederunt, ex  
 quibus Rosiani nonnullos ceperunt, si-  
 gnificantes adesse Ducem VVirtember-  
 gicum, & tribunum à Haure, cum 2. ad  
 3000. tentaturos, num Gallici inde ex-  
 pelli possent. Sed cum Dn. Gen. de Rosis  
 machinas displodi jussisset, viam alior-

rum

Anno  
1649.  
&  
1650.

sūm dimensi sunt. Altera luce 16. turmis  
equestribus & 1. cohorte pedestri inter  
Gravenmacheram & VVasserbiligium  
iterum sese sistebant, rati Mosellam se tra-  
jecturas: verū vigilantissimus de Rosis,  
ejaculatis tomentis & sclopetis horæ  
spatio impedimento erat, ut tandem irri-  
to conatu Echternachiam secesserint.  
Paulò ante ingressum Decembris, decies  
ultra nominatus Generalis de Rosis in  
tractum Eyselianum excursiones egit, op-  
pidum Dundorfium, & Comitatus Kielen-  
sis sedem, nec non in proximo adsitam ar-  
cem Bensfeldiam, occupavit, & inventa  
ibi magna frumenti copia, præsidia im-  
misit.

Tum temporis Dn. tribunus Oehmius,  
cum equitatu & peditatus, 12. nempe le-  
gionum equestrium, & 11. pedestrium  
robore, 3, 4. vel 5. horarum spatio à Me-  
tensium urbe consistebat, iussa expectans;  
ubi hyberna accepturæ sint; quæ postea  
in Lotharingia; primariam autem statio-  
nem Espinalæ habuerant, ubi ex 4. le-  
gionum 4. cohortes coordinatæ: de qua-  
rum expeditione futuro libro si visum ita  
Deo fuerit, plura adjungam.

Fervente ita Martis negotio, Dux Lo-  
tharingiæ cum copiis 10000. & 10. ad  
20. mæ;

20. mahinis, in Episcopatu Leodiensi, Anno  
ex utroque Mosæ latere, hyberna usur- 1649.  
pavit: cui cum rustici transitum quem- &  
piam in dubium vocarent, vim adhibuit, 1650.  
& eorum in Hesbay & Versmontleck,  
trecentos imò quadringentos trucidavit,  
& 4000. qui arma abjecerant, captivita-  
ti adscripsit, qui singulis aureis Ludovi-  
ceis servitatem redimebant. Postea pri-  
mariam stationem in Hagarden posuit;  
ipse Bruxellas profectus, imperium in  
copias Comiti Salmensi commisit. Epi-  
scopatus quidem Leodiensis Deputatos  
amandaverat, & 3000. duplicatos Ludo-  
viceos, ut provinciæ parceret; obtulerat;  
Sed hi repulsam passi: quin in hospitia di-  
stributæ, & quædam legiones cis Mosam  
ablegatæ fuerunt. De rusticis his scribitur,  
quòd principiò Lotharingiorum victo-  
res fuerint, atque hîc illîc in sylvis ad 300.  
Charonti propinaverint; sed cum in su-  
perbiam erigerentur, & campestribus sese  
committerent, Comitem Salmensem  
3000. equitibus eos circumdedisse, & præ-  
fatam illis cladem inflixisse.

Antequam Dux Bruxellas abiret, Lim-  
burgi granarium constituit, id quod caus-  
sa fuit cur Elector Coloniensis, nec non  
Trajectensis gubernator, ad Ducem Bru-  
xellas

Anno  
1649.  
&  
1650.

xellas miserint, Dux verò Neoburgensis subditis arma imposuerit, eaque rei facies apparuerit, ni Dux Lotharingiæ exercitum amicè abducturus esset, fore, ut Colonienses phalanges Leodiensibus coniungerentur, ut viam iis ferro ostenderent Coloniensis enim Elector, cum Statibus & capitularibus suis eò convenerat, ut Landgravia Hassiæ præter Lipstadium, etiam duas adiacentes præfecturas Colonienses, de summa 300000. Imperialium defalcandas, retineret, & Novesium quamprimum restitueret; ast spatio adhuc bimestri subsidiis & hospitiiis uteretur, ut si Lotharingici fursum tenderent, & hyberna facturi essent, copiæ Hassiæ, ad vim comprimendam obiici possent, quo eodem etiam sine subditis arma indicta sunt. Intercessione autem Dni. Comitis à Lamboy, omnia apud Illustriss. Dni. Ducem Lotharingiæ eò deducta, ut persolutis 4500. nummis Ludoviceis pro Duce; & 1800. pro Officiariis, exercitus Episcopatu Leodiensi cesserit, & apud Stephans. V. Verthiam, Mosa superato, in regnum Aquisgranense transferit, ut etiam in eo ejusvè confiniis provincialium labascentes lares lassaret.

Cum postea, quæ in Dynastia Ravensteiniana

Steiniana commorabantur, octo legio- Anno  
nes, intelligerent, Dn. Rheingravium, 1649.  
quingenta cohortibus equestribus, & &  
1000 peditibus, ex exercitu Batavico, eò 1650,  
quod Lotharingici paulò ante, circiter  
44. curtus, variis commerciorum specie-  
bus onustos, à Bosca-Ducis Traiectum  
Mosæ traiecturos, quadrihorii spatio in-  
de invasisent, despoliassent, atque equos  
quidem vehiculariis prævia supplici illo-  
rum efflagitatione reddidissent, damnū  
verò à 30 ad 40000. Imperialium infli-  
xissent, adversum se viam corpore, trans  
Mosam evaserunt, & oppidulum, unā  
cum Abbatia Caroli Monasterio, diri-  
puerunt. Cætera quæ impudens hic miles  
ulteriùs designabit, suo loco & ordine  
adiicientur.

Exitus commotionis Leodiensis ut  
addatur, gratiofus Dn. Lector jam requi-  
ret, cuius hic ordo & series fuit: Cùm E-  
lector Coloniensis & civitas Leodiensis,  
quorum hi posteriores Regem Gallia &  
confœderatos Belgii Ordines suppetias  
postulaverant, Legatos quidem Hoya,  
ad componendum amicabiliter vitili-  
gium, congregatos haberent, res autem  
infecta præteriisset, Dn. Gen. Sparrius ci-  
vitatem ex 3. aggeribus tormentariis 13.

E 23. Au.

Anno  
1649.  
&  
1650.

23. Augusti machinis quassavit, & aliquantum etiam Vulcano usus est. Dn. Coadiutor impunitatem pollicitus, exceptis quibusdam machinationis authoribus fuit; Sed narrabatur surdo fabula: Quin contumaciores facti ex turre S. Lamberti vexillum sanguineum expandebant, ut plurimi inde præcipuæ notæ & prudentiæ viri loco excefferint. Postea Colonenses ¶ 16. 26. ut & ♀ 17. 27. Augusti Abbatiam St. Laurentii duobus assultibus, magno suorum damno aggressi, tertio circa vesperam, cæsis 400. ex Leodiensibus, in potestatem egerunt, ut ita civitas pro voto Coloniensium tormentis infestari potuerit. Cives cum scirent Deputatos suos Hagam Comitum amandatos, à Dns. Statibus, qui tantæ trægædiæ malebant esse spectatores, quàm actores, nullam dum spem auxilii videre, incertum etiam esse, an Rex Galliæ patrocinium suscepturus esset, & ita periculum in casu ulterioris oppositionis, gravius ob oculos versaretur, veriti, ne sibi causa ruinæ ascriberetur, sextidui armistitium ad ineundam amicabilem compositionem erogitarunt, sed tantum 24. horarum spatium ad deliberandum, utrum arma an pacem mallent, indictum.

Rebus

Rebus itaque ipsorum in peius ruen- 1649.  
tibus, consules Barthol, Hennet natu ju- &  
nior, Iammar, & alii, qui corpus civitatis 1650.  
imperio regebant, in extimas angustias  
reducti sunt; dum scilicet viderent com-  
plices suos secessionem facere, impro-  
bum Vulcanum quorundam penatibus  
superbè insultare, civesque ex clade suo-  
rum conterritos ad seditionem aspirare,  
&c. tandem res eò rediit, ut cives qui  
trans Mosam degunt, portam Electoris  
Gubernatori Huiensi, Baroni à Lin, non  
tantum reserarint, sed etiam universim  
altum exclamarint, **VIVE SON ALTESSE!**  
Dn. Gubernator ergò 5. ad 6000. militi-  
bus provincialibus, absque ullis conscri-  
ptitiis, ad pontem navalem, & usque ad  
locum, Bath, accessit, ubi obsequioforum  
civium universus numerus congregatus,  
priori applausu, **VIVE SON ALTESSE!**  
Baronem excepit. Tandem in forum  
multitudo prorupit, ubi prædictus Baro  
Linæus filium Leonardi, plenis armis  
stantem, offendit, quem illicò globo tra-  
iecit. Tum Curiam ingressus, confestim  
eam suæ potestatis fecit, atque ibi consu-  
lem Hennet, Bartholum, & alios plures,  
fugam parantes, captivos accepit, omnia-  
que ex voto feliciter peregit.

Anno  
1649.  
&  
1650.

Scriptis fide dignis relatum, civitati im-  
missa circiter 2500. quæ in foro consistere  
iussa, redditis ad omnia necessariis man-  
datis. Ita Celsiss. Dn. Coadjutor, ut & il-  
li, qui effugerant, cives plurimam sui par-  
tem redierunt. Sereniss. Dn. Dn. Elector  
autem, apud quem Dn. Dn. Dux Neobur-  
gicus in inferiori Episcopatu in venatio-  
ne erat, intra paucos dies cum Ordine e-  
questri ibi expectabatur, quinque captivis  
sententiam dicturus. Deinde 14. 4.  
Septembr. Brielio splendido comitatu a-  
biens, ♀ 17. 7. ejusdem die St. Lamberti,  
qui loci Patronus est, Leodium venit, cum  
pridie consul Hennet, eiusque minister &  
& procurator Leonardus, capitibus trun-  
cati essent. Consul facem manu præfe-  
rens, in pegma procedebat, caput eius è  
porta St. Leonardi, ministri verò alio lo-  
co suffixum, Procuratoris Leonardi usq;  
ad vesperam in foro fuscensum remansit,  
postea detractum & supra portam ferreo  
palo impositum; eaque vespera Elector  
per portam S. Leonardi civitatem ingres-  
sus solenniter exceptus fuit. Prioribus,  
qui executione donati, addebatur Sabba-  
thi 15. 5. Sept. Consul Barthel Rolandus,  
cujus corpus, ut & reliquorum terræ qui-  
dem mandatum, caput autem, ex turre S.  
Lam.



Lamberti itidem palo præfixum, quo fa- Anno  
cto ulterior condemnatio cessavit. Hinc 1649,  
copiæ, quæ ante civitatem consistebant, &  
abductæ, trans Mosam in Germaniam 1650,  
abibant, machinis & impedimentis secum  
acceptis, 1200. pedites & 400. equites,  
præsidio civibus relictis: & hic exitus com-  
motionis fuit. Stipendia militiæ à Merca-  
toribus persoluta, iisque reditus agrarij  
obligati, deinde novus Senatus lectus, tri-  
bus mutata, & lex lata, ut in posterum  
Princeps dimidiam eius partem coordi-  
naret.

Perfectis omnibus, Elector comitante  
novo Coadjutore ( de cuius electione  
proximè sermo erit. ) Bonnâ rediit, post-  
quam videlicet antea ad castellum, ante  
portam D. Leonhardi extruendum, pri-  
mum lapidem posuisset, jubens ut opus  
urgeant, ad continendos in officio Leo-  
dienses, qui Principi suo introitum nega-  
verant.

Leodiensis Coadjutoris electio, e- *Leodien-*  
jusvè modus hic erat: postquam Serenit- *sibus Co-*  
simus Dn. Dn. Elector 16. Septembris, adiutor  
Leodium venisset, Ordo equestris & u- *præfectus.*  
niversitas Statuum provincialium, Sere-  
nitati illius libellum exhibuit, omni vo-  
to obnixè postulans, ut ex causis prægnan-  
tibus

Anno  
1649.  
&  
1650.

tibus Coadjutorem Episcopatus eligendum curaret, adprecans, ut vis electionis Celsiss. Principem ac Dn. D. Maximilianum Henricum, Ducem Bavarix, &c. feliciter contingeret, electum antea videlicet & confirmatum Coadjutorem Archiepiscopatus Coloniensis, Episcopatus Hildesheimensis & Berchtolsgadiensis; Cuius imperium ferre malebant; eò quod tanti Principis virtute & prudentia Principatum eò facilius in tranquillo concordix statu conservatum iri confiderent. Pia illorum petitio Reverendiss. Dn. Dn. Capitularibus communicata, electio ad 9. 19. Octobris, octavam videlicet S. Maximiliani, instituta, Capitulares convocati itemque inclamata ante S. Spiritus clementia & auxilio, in nomine Dei vota concepta, & Illustriss. Princeps ac Dn. Dn. Maximilianus Henricus, Dux Bavarix, &c. unanimi consensu, ingenti gaudio Dominorum Capitularium Coadjutor Leodiensium, cum futura successione, nominatus, postea ex conclavi electorio ad altiorem aram productus, & interim à Cantore & universis Capitularibus, deinde etiam à symphoniacis Hymnus D. Ambrosii, &c. decantatus, tum à Scholastico electio publicata, & prædictus Princeps Coad-

Coadjutor solenniter renunciatus fuit, Anno  
 cui universa frequentia Ordinis eque- 1649.  
 stris, Statuum provincialium, nobilium &  
 & cum primis civium, quorum ultra 4000 1650.  
 in templo aderant, sine fine modoque,  
 donec in palatium introiverit, acclama-  
 vit, VIVAT! VIVAT! plaudente interea et-  
 iam populo per omnem civitatis circui-  
 tum campanis, & excitatis ignibus, reli-  
 quisque novi gaudii indicis. Durante  
 postmodum convivio, quod Reveren-  
 dis, Dn. Coadjutor in palatio exhibebat,  
 & cui omnis Capitularium numerus in-  
 tererat, à cohorte Principis prætorie, ex  
 munimentis & propugnaculis tertium  
 machinis excitatus mugitus, & totus hic  
 dies summo gaudio peractus fuit:

Subortum inter Reverendis, Dn. Dn. *Inter Ele-*  
 Electorem Trevirensis & Dominicum *Electorem &*  
 Basilicæ ejus capitulum, longo abhinc *Capitulū*  
 tempore distidum, cujus etiam in ante- *Trevi-*  
 cedentibus quibusdam Relationibus fa- *rense orta*  
 cta mentio fuit, nondum ad finem perdu- *discordia*  
 ci voluit. Ast postquam jam innuente id *non vult*  
 etiam priori Relatione, Reverendis Dn. *componi.*  
 Dn. Electorum, Moguntini & Colonien-  
 sis, nec non Episcopi Bambergensis, alio-  
 rumque legati Treviris congressi essent,  
 non parva hinc enata spes fuit, opera &

E s

consi-

Anno  
1649.  
&  
1650. consilio Dn. Dn. Principalium, diffidii  
hujus vitiligium, tandem amicabilem fi-  
nem accepturum, & Reverendis, Dn.  
Dn. Electorem cum capitulo in gratiam  
rediturum, quod si factum fuerit, suo lo-  
co Mercurius adjicito.

*Appen-  
dix de bel-  
lo Gallico-  
Hispanico  
in Italia et  
Catalonia* Veniendum etiam ad Martem Itali-  
cum est, de quo pag. 54. Relat. antece-  
dentis, paucis actum. Hactenus mense  
Septembri Ceva Pedemontanae regio-  
nis oppidum, conventa pactione, Hispa-  
nis cessit. Qui porro etiam castellum à  
500. Gallis infessum, tormentis quidem  
infestabant; sed deficiente pabulo, &  
quòd Galli in vicinia magno numero  
congregarentur, incepto iterum desiste-  
bant. Nona Octobris Hispani sub impe-  
rio Marchionis à Serra, oppidum Biella,  
& arcem S. Damiani in Monteferrato po-  
testati suæ subiiciebant. Ex quo Dn. Dn.  
Emmanuel Dux Sabaudia 50. militibus  
Taurinum secessit; Vice versa Galli Ale-  
xandriam impetentes, repulsi inde sunt;  
& octoginta domos Salerii in cineres re-  
degerunt. Deinde etiam magnam peco-  
ris copiam abegerunt; sed quam rusticis,  
qui ob id coierant, maiorem partem red-  
dere oportuit. Paulò post peditatus Pe-  
demontanus 200. Hispanicos equites, &  
300.

300. pedites invasit, quorum plurimos Anno  
 partim trucidavit, partim captivos abdu- : 649.  
 xit. Mense Decembri rati Hispani ali- &  
 quid se stratagematis in Castellum Casa- 1650.  
 lense effecturos; quo fine Generalis Hi-  
 spanici equitatus Vicarius, Dn Comes  
 Galeatius Trotti, 1500. Marticolis Eri-  
 danum transvectus erat. Sed cum uno  
 inde circiter milliari inter arbusta secretò  
 ageret, res ad ephorum castelli ab explo-  
 ratore per literas commonefactorias de-  
 fertur. Quamobrem is omnes è vestigio  
 copias convocat, atque trihorio ante di-  
 luculum tria ex muralibus tonitrua, ad  
 significandum vigilantiae studium efful-  
 gurat; sed non erat, quod de Hispanis  
 animadverti posset, ut ipsi propemodum  
 de indicato stratagemate dubium subor-  
 tum donec albicante cælo certior reddi-  
 tus fuerit, pastorem castelli cum Docto-  
 re, ipsorumque amicis quibusdam, nec  
 non quopiam machinarum diribitore,  
 fugam capessere, ex quo eos proditionis  
 reos præsumpsit. Tantum de bello Gal-  
 lico-Hispanico in Italia Mercurius con-  
 quisivit.

In Catalonia Marchio de Mortara ex-  
 eunte Martio anni huius 1649. Gallis ca-  
 stellū Saporā subripuit: Galli verò Tarrago-  
 nam

Anno  
1649.  
&  
1650.

nam oblecturi, excisa messe locum deseruerunt; quos inter ingens proditio detecta, quod scilicet omnes natione Galli & Helvetii, per universam Cataloniam interneccione deleri debeant. Die 21. Sept. Hispani sub regimine Dn. Iohan. de Garray castrorum Hispanicorum Campi-Marescalli 12000. exercitu, equestri & pedestri, adscitis etiam 40. tormentis, in Cataloniam provolvuntur, ubi multa oppida suo imperio adjiciunt, Montplanum nimirum, Constantinam, Solum & alia, donec septem tantum Barcellona milliaribus differrēt, huic etiam civitati obsidium molientes. Sed incolis ex parte Gallorum se staturos strenuē profitentibus, mutato consilio retrō versus Tarragonam, detecta præsertim prodicione, iter inflectunt, Villa Franca, locisq; aliis circa Barcelloenam, ob defectum commeatus annonarii, desertis.

Velitationes hoc quidem tempore nullæ: præterquam quòd 14. Decembr. Generalis Hispanicus, Dux Albuquerqueus, inter Ilerdam seu Leridam & Montplanum, duos Gallorum ductores de Marosin & Cricquium, qui 1000. equitibus eum insecuti erant, vicerit, occisis 200. captis 400. quorum postremorum ordinem

nem ornabant sex equitum magistri, se- Anno  
 ptem protribuni, & Generalis Campi- 1649.  
 Marecalli Adjutor, parva quinetiam si- &  
 gna aliquot equestria; ast ita ut & Hispani 1650.  
 ex sua parte Commissarium Generalem  
 Julium Viscontium, cum paucis quibus-  
 dam aliis, fortunæ Martis concesserint.

Eventus belli inter summum Pontifi- *Bellum*  
 cem & Ducem Parmensem in Italia gesti *inter Pon-*  
 (de quo pagina 56. & 57. Relationis præ- *tificem &*  
 cedentis) paucis etiam adducendus est. *Ducem*  
 Cardo in hoc versatur, ut, cum pugna a- *Parmen-*  
 pud Casalium St. Petri, ex parte Beatissi- *sem.*  
 mi Dn. Dn. Pontificis felici Marte cesse-  
 rit, & ex captivis, quorum 200. erant,  
 quidam præcipuorum Officiariorum, cum  
 majore impedimentorum & proventus  
 tormentarii parte, Bononiam & Ferra-  
 riam traducti essent, jam Celliss. Dn. Dn.  
 Ducem Parmensem excommunicandū  
 fore, putaverint, & summus Pontifex su-  
 premum Parmensis militiæ Præfectum,  
 Marchionem Gofredium in castellum  
 Placentinum captivum deducendum  
 dederit. Sed postea Dux scriptum pu-  
 blicum evulgavit, & demonstratum de-  
 dit, quod arma contra Pontificem non  
 moverit, sed solū, quia viam amicabi-  
 lis transactionis recusaverit, ad tutan-  
 dum

Anno  
1649.  
&  
1650.

dum Principatum insurrexerit, simulat-  
que compositionem offerens, culpam o-  
mnem in Generalem suum Marchionem  
Gofredum transferebat, quippe cui ob  
id ipsum universam auri sui vim 450000:  
nummorum Coronatorum, (quidam  
habēt 70000. aureorum Duplicatorum)  
pretio æstimatam, confiscandam, uxo-  
rem & liberos cœnobio includēdos, imò  
eum ipsum 8. Januarii 1650. Placentiæ  
super theatro lunato publicè decollan-  
dum mandaverat. Mater etiā Ducis  
Dux vidua, ad Pontificem & Cardinales  
quosdam per scriptis literis rogavit, ne a-  
deò rigorosè contra filium procederent;  
quicquid fecerit, instigantibus malevolis  
Confiliariis fecisse. Et cùm etiā S. Cæ-  
larea Majestas, Rex Catholicus, & Prin-  
cipes quidam Italiæ, intervenirent, in-  
super Ducissa vidua promitteret, omnia  
de quibus filius teneretur, sese perso-  
lutam, tandem de super de pacta com-  
positio est, & Pontifex Duci transactionis  
capitula transmisit, in hanc tenfem con-  
cepta, ut scilicet jam 300000. Corona-  
tos Pontifici paratò Romæ adnumeret;  
& ad satisfaciendum Creditoribus ibi-  
dem, proximo triennio adhuc 600000.  
Coronatos aureos persolvat: sin minus,  
Ducis



Ducatum Castrensem & Ronciglionen- Anno  
 sem Camerae Apostolicae apertos fore; 1649.  
 quae vicissim de ejus nominibus luendis &  
 Creditoribus tenetur, quae Dux illicò 1650.  
 subsignato; sed ut Roma de dato 4. De-  
 cemb. perscriptum, res intercedente Re-  
 ge Catholico, eò deducta fuit, ut Ponti-  
 fex Ducem eatenus in gratiam receperit,  
 ut fas justumvè illi esset, bona fisco ad-  
 judicata, intra decennium partiali solu-  
 tione redimere: De quo Mercurius pro-  
 ximè & plura & certiora daturum spon-  
 det.

Volvente hac transactionis causa, Par- *Castri de-*  
 menses in Castro, cum aqua & vino de- *ditio Pon-*  
 stituti, non nisi duos adhuc boves in resi- *rificiis fa-*  
 duo haberent, obsidentibus Pontificiis *Et a.*  
 conventa capitulatione deditioem fe-  
 cerunt: & praesidiator Parmensis Samson  
 Asinellus, oculo in obsidione hac orba-  
 tus, 2. Septembris cum 300. militibus  
 Montaltum egressus, Pontificiè verò mi-  
 litiae Rector Gabriellus legione pedestri,  
 Castrum ingressus est. Locus hic, alio-  
 quin celeberrimus, jubente B. Pon-  
 tifice, solo aequatus, ita ut ne domus re-  
 manserit. Machinae Roma ex Castello S.  
 Angeli admotae, 16. numero, isthuc ite-  
 rum reductae sunt.

*Solis*

Anno  
1649.  
&  
1650.

Solis 4. Julii Sr. N. Romæ novus Regis Galliarum Legatus, Dn. Belly de Valenze, camerato vehiculo in palatium Pii V. Pontificis, introitum celebravit, posteaque 60. carpentis per Dn. Dn. Cardinales, inter quos Barbarinus fuit, in palatium à quatuor fontibus dictum, & à Dn. Cardinale Ursino ad audientiam deductus fuit. Mense Octobri, in civitate Vecchia Regis Lusitaniæ, pro Pontifice transmissa munera, duobus navigiis, duorum millionum pretio æstimata, adpulerunt, permotum eum, ut Legatum Lusitanicum recipiat, & vacantes in Lusitania Episcopatus redintegret, quod ut ne fieret, Hispaniè contrario manibus pedibusq; omnem lapidem moverunt. Quo tempore cives Romani quotidie in armis exercitati, ut vigente futuro Jubilæo civitas eo doctiores defensores haberet: quamobrem etiam omnes Cardinales acciti, & ut omnia eo tranquillus peragi possent, Legato Lusitanico significatum, ut de receptione sua usque ad exitum Jubilæi patientiam ferat.

Etiam patres Iesuitæ aderant, qui Beatis: Dn. Dn. Pontificem postulabant, ut Regem Poloniæ literis suis compelleret. quo in habendis proximè Varsoviæ Comitibus

mitiis, intercedente aliqua auri summa, Anno  
 indoca, ex quibus Cosaccorum pacifica- 1649.  
 tione eiekti & disturbati essent, restitue- &  
 rentur. Mercurii 3. Novembr. St. N. no- 1650.  
 vus Regis Hispaniarum Legatus extra-  
 ordinarius, Dn. Dn. Dux de Infantado,  
 (qui etiam Prorex Neapolis proclama-  
 tus fuerat.) insigni pompa Romam in-  
 gressus, & s. eiusdem apud Pontificem  
 prima audientia functus, rogavit, ut ex-  
 ortum cum Duce Parmensi diffidium  
 componendum det, ast aliud obtinere  
 nullus quivit, nisi ut Duci relutio Duca-  
 tus Castrensis intra decennium facienda,  
 persolutis decies septies centenis coro-  
 natorum millibus, permessa esset. Die 4.  
 Novembr. Pontifex diem electionis &  
 coronationis, & in Monte Quirinali pu-  
 blicæ devotionis officium solenniter ce-  
 lebravit. Brevi post Romæ, in area, ubi  
 Hispanicus Orator lares fixerat, inter Hi-  
 spanos & Gallos gravior quæpiam tu-  
 multuatio excitata, ad quam sopien-  
 dam Pontifex utrumque admonen-  
 dum mandabat. Gallicus vero Legatus  
 quibusdam Cardinalibus librum, Ulys-  
 sibonæ typis excusum, exhibuit, in quo  
 Rex Portugalliæ declarabat, nisi per suum  
 Legatum apud Pontificem obtinere pos-  
 sit,

Anno  
1649.  
&  
1650.

fit, ut Episcopi locis vacantibus præficerentur; propria se autoritate præfectorum.

Veneris 24. 14. Decembr. facta consecratio est habendi anno hoc 1650. festi Jubilæi: ubi Beatis. Dn. Dn. Pontifex sacris vespertinis peractis, incredibili magnificentia, ornatu Pontificali, ex Vaticano in Basilicam S. Petri deportatus, in qua processione universus Cardinalium ordo vestitu solito equester ingressus fuit, stipante eum ingenti numero Magnatum & Nobilium cum multis millibus ex plebe: Re postmodum divina & ceremoniis peractis (quarum enumeratio Mercurio nostro gravior futura esset,) Pontifex aureo malleo quosdam ictus portæ D. Petri, ad id reserata, infligebat, & cum aperta esset, incredibilis gaza conspecta, quæ sola digna esset, ut de ea peculiaris libellus adornaretur: Et inclita Roma, in non parvam admirationem rapiabatur, quod in tam nefanda populi multitudinis, quæ tum temporis in urbe commorabatur, & huic actui præstò erat, tumultus excitatus non fuerit: cum primis autem quod inter Gallos & Hispanos, Cerberi foetus discordia, quiescere potuerit. De dato 7. Januarii 1650. Romæ per scriptis

perscriptum, quod in multitudine, quæ Anno  
 in urbem venerat, visura futuri Jubilæi 1649.  
 magnificentiam, ultra 3000. Evangelii- &  
 corum connumerata, & quod inter eos 1650.  
 complures Principes, Comites, Nobiles,  
 & alii insignioris nominis viri fuerint,  
 quibus Beatiss. Dn. Dn. Pontifex per mo-  
 dum dehortationis significari iusserit, ne  
 publicum scandalum exhibeant, neve u-  
 nus aut alter per ullam sacratam portam  
 ingrederetur. Hæc Romæ Mercurius  
 excepit:

Casum Neapolitanæ tumultuationis *Casus*  
 etiam præced. Relatione pertractavimus: *Neapolita-*  
 nunc arctiori eam filo Mercurius con- *tanus.*  
 stringet. Ibi mense Augusto Dn. Francis-  
 scus Batti, quod in præfata commotione  
 Ducem Guisium Roma Neapolim ad-  
 duxisset, capite truncatus, & Gen. Bossus,  
 quod Gallis turrim Carmeliticam prodi-  
 turus fuisset, suspendio affectus. Et scribi-  
 tur, etiam Ducis Guisij Secretarium, Fa-  
 brani, qui cum aliis nobilioris conditio-  
 nis Gallis in Hispaniam abductus erat,  
 capite multatum. Prorex Dnn. Carme-  
 litas ad S. Martini & S. Lucie, nec non  
 Dnn. Franciscanos ad S. Trinitatis, cæno-  
 biis suis ejiciebat, loca sacra in castella  
 conversurus, opinatus palatium suum in-  
 de ma-

**Anno**  
**1649.**  
**&**  
**1650.**

de machinis quassari posse. Mense Octobri ipsius imperio rursus 3. seditiosi suspendio mactati, & unus, qui Proregis vitæ insidias struxerat, in 4. partes dissectus. Præterea Dn. Fabritius san Felice, quod in Rempublicam deliquisse diceretur, captivus in Castellum abductus fuit, Mercatores etiam quidam carceribus inclusi, bonaq; ipsorum 450000. Coronatorum pretium exequantia, fisco adscripta, quod 7. machinæ in illorum domiciliis reperiæ, & quod contra desolationem canobiorum gravius protestati essent. De dato 9. Februarii Mediolano refertur, cum Neapoli ex adventu Reginae Hispanicæ ignes exultatorii excitarentur, Proregem globo impeditum, brachio vulnus accepisse.

*Iter Sponsæ Hispanicae Viennæ Madritum.*

Relatione præcedenti pollicitus Mercurius est, relaturum se jam etiam professionem sponsæ Regis Hispaniarum Vienna Madritum, quæ hoc modo peracta scribitur.

Postquam Regina Sponsa 13. Novembris 1648. præstantissima comitantium caterva, Vienna viam cæpisset, Tridentum appetiit, ibique magnifico apparatu, erectis honoris gratia portis triumphalibus, excepta, aliquantum temporis quieti im-

ti imdendit. Tum 8. 8. Maji 1648. Bre- Anno  
sciam pervenit, ubi à Repub. Veneta 24. 1649.  
ejus regia magnificentia introducta & tra- &  
ctata fuit, expensis in gratuitam Sereniss. 1650.  
Reginæ hospitalionem 70000. Ducatis.  
Inde Mediolanum adproperans, ibidem  
30. ejusdem cum Rege Hungariæ, ob gra-  
viores imbrium defluxum comitantibus  
2500. personis, incognita incessit, rata,  
quamprimùm per gratiores tempestatis  
conditionem liceret, solennem ingres-  
sum habituram. Respublica Veneta, per  
territorium iter ducenti, gratuita hospitia  
decrevit, eamque 25. plaustris omnis ge-  
neris obsoniis oppletis, liberaliter redo-  
navit: sexcentis quoque cataphractis, &  
400 equitibus per statum conducendam  
indixit. Generali Reipublicæ Capello Re-  
gina sponsa torquem aureum, adamantini-  
bus distinctum, 4000. Coronatis æstima-  
tum dono exhibuit; itemque alios adhuc  
quadraginta aureis catenis mactavit. Ipse  
insuper Generalis à Rege Hungariæ, no-  
mine invictissimi Cæsaris, eques Imperii  
Romani creatus: Ubi non tantùm Reip.  
magistratus quatuor & viginti vestibibus At-  
talicis, auro argentoque intextis, ut & po-  
culo, malluvio, & gutturo, vase item ali-  
quo Crystallino, auro incluso, & cælato

Anno  
1649.  
&  
1650.

artificio splendescente, sed etiam alii Ducatus proceres, excellentissimis muneribus, cum primis Reverendis, Dn, Dn. Archiepiscopus duabus thecis Achatinis, majore intus cruce ex Orientali Jaspide insignitis, multisque sanctorum martyrum reliquiis sponfam muneravit. Instituta etiam sunt certamina equestria, & ignes exultatorii excitati: 15. 25. autem hujus Rex Hungariæ, sub diluculo in Germaniam regressus: & summi Pontificis Nuncius, Dn, Dn. Cardinalis Ludovisius Sponsæ sacram Rosam, cum pluribus Sanctorum reliquiis impartitus est. Nonâ Augusti Finalium perrexit, cui plebs abiturienti mille votorum generibus itineris prosperitatem, partumque felicem adprecata. Genuensium Legatum verò opprobriis affectum dicunt: cum namque is tribus jugalibus in reginæ aulam accessisset, in aula unum ex iis par distinctum, eumque à regina tantum Dominum salutatum fuisse. Papiam adpellens, ab Episcopo magno reverentiæ cultu sub cælo portatili sedili collocata, in urbem defertur, quam inde Finalium devenientem 28. Augusti Dux Tursius, Gianettinus di Auria, Dux di Anello, Marchio Spinola, aliique Generales, regia magnificentia exceprant.



ptam, solenniter introduxerunt, & in pa- Anno  
latium Dn. Diego Alvardi concomitati 1649.  
sunt. Altero mane à Cardinali Donchæo, &  
& 4. Legatis Neapolitanis consalutata, 1650.  
exoneratis in tonitrua tormentis, Neptu-  
no in Hispaniam uia est: & scribitur Ma-  
drito, Dianæ sive Deniæ reginam expe-  
ctatam, atque istuc à Rege plures Princi-  
pes viros, mulieresvè ablegatos, ad eam  
summo magnificentiæ splendore ac stu-  
dio excipiendam. Et dabatur Madriti ni-  
mis operosa opera, in erigendis arcubus  
triumphalibus, eo artificii genere, quo  
unquam à quoquam ipsorum formæ hu-  
manis oculis usurpatæ fuerint. Quin Rex  
ipse, Regisque filia, maximè insudabant,  
soliciti, quomodo gloriosissima Regina  
in Escuriali (quod monasterium est, pro-  
pè Madritum situm, nobilissima operis  
structura mundi miraculis adscriptum,  
quò etiam Prorex Castiliæ omnesque ferè  
Hispaniæ Magnates venturi erant) longè  
honorificentissimè introducenda, ei que  
vota pangenda forent.

Exactis postea 7. Novembris in arce *Regina*  
Navalcarnani, 4. milliaribus Madrito dis- *Hispanica*  
sita, nuptiis regiis, Lunæ 5. 15. ejusdem an- *ingressus*  
te meridiem Reginæ introitus Madriti e- *& nuptia.*  
quester celebratus, ea que nobilissima

Anno  
1649.  
&  
1650.

nympharum Principum corona circum-  
lepta, majori undique splendore obruc-  
batur, quam ut vel ipsa Svada effari possit.  
Ante eam incedebant primariae nobilita-  
tis magnates, vestitu plane sumptuosissi-  
mo, catenis aureis & adamantinis coru-  
scantes, quorum caballi ob formæ præstan-  
tiam & phaleratum pulchritudinem inæ-  
stimabiles. Eos secuti ministri pedites,  
quorum quidam quadraginta, quidam  
paucioribus efferebantur, auro & argento  
pulcherrimè expolitis: quin imò satelli-  
tum quidam vestimentis aureis & argen-  
teis superbiebant, ita ut nihil præclariùs  
aut absolutiùs spectatum unquam fuerit.  
In plateis à Retiro, usque ad palatium o-  
mnes domus, à suprema sui parte, in exti-  
mas usque peristromatibus mirificè con-  
textis, undiquaque opertæ erant. Inpri-  
mis platea *la Platoria*, (procul dubio à vo-  
ce Hispanica *Plata*, quæ argentum deno-  
tat,) ab aurifabris ad profusam omninò  
majestatem ita condecorata stabat, ut ex  
utroque latere aliud non apparuerit, nisi  
aurum, argentum, gemmæ, adamantes, &  
omnia præcellentissimarum margarita-  
rum genera, ut de Cræsæis his divitiis vel  
ipse Legatus Turcicus (qui pro tempore  
in Regis aula degebat, & de quo paulò in-  
feriùs

ferius sermo erit) in admirationem ra- Anno  
 ptus, eruperit, nunquam sese in omni vita 1649.  
 tantam majestatem, tantamque opulen- &  
 tiam conspicatum. In angulis platearum 1650.  
 stabant quatuor majores, & 4 .minores  
 pyramides, (sunt columnarum species  
 quadrangulares, superiori sui parte acu-  
 minatæ, inferiori in latitudinem extensæ),  
 ex quibus arcus triumphales propende-  
 bant, quorum quatuor quatuor orbis ter-  
 rarum partes referebant, structuræ opere,  
 itemque artificio sculptorio, ultra 64000  
 Ducatis æstimatæ. Ne quid addam de eo,  
 quod Senatus Reipublicæ Regiæ suæ Ma-  
 jestati adornandum curavit: de Parnasso  
 putà, quem novem Varniades cum Apol-  
 line incolebant, & adequitante Regina  
 in suavissimum concentum effusæ: ac qui  
 simul omnium poëtarum, qui eruditionis  
 excellentia Hispaniam celebriorem red-  
 diderunt, effictas imagines ostendebat.  
 Extructi etiam quatuor fontes erant:  
 itemque viginti atria saltatoria; & ante pa-  
 latium 2. turres, cum duobus choris tri-  
 umphantibus, quorum uterque duode-  
 cim Comædas, & sex Comædos, com-  
 plectebatur, à duobus leonibus, duabus-  
 que aquilis producti, latus Regiæ occu-  
 pabant, & voce lyræ usque ad regium  
 F s palatium

Anno  
1649.  
&  
1650.

palatium Orphea & Amphiona vince-  
bant. Ubi Rex Reginam in inferiori scalæ  
parte excepit, & una etiam Regis filia,  
quæ sinistrum reginæ latus claudebat,  
Regia autem sua Majestas usque in majus  
palatium præibat, machinis interim cir-  
cum urbem Jovis fulmina superantibus.

Nuptiis his accedat votum authoris,  
adprecantis Regi Hispaniarum, cum Ger-  
manis amicitiam, cum Gallis cōcordiam,  
erga Italiam reverentiam, ex Asia felici-  
tatem, in Africam pietatem, erga Ame-  
ricam commiserationem.

*Orator*  
*Turcicus*  
*in aula*  
*Regis Hi-*  
*spania.*

Gaudium hoc nuptiale ornabat etiam  
legatus quidam Turcicus, qui in aula  
potentiss. Hispaniarum Regis commora-  
batur, & itinere Neapoli Valentiam in-  
stituto, ibi à Comite de Oropesa exce-  
ptus fuerat. Inde Odonium, tribus Ma-  
drito milliaribus disternatum, profe-  
ctus, more Turcico telibus istis vicibus  
balneo usus, dicebat, se in itinere hoc tres  
singulares fortunæ casus expertum. Vir  
erat eximii judicii, & qui Hispanicam lin-  
guam benè, meliùs autem Italicam calle-  
bat, nomen ipsi erat Hamet Aga Musta-  
fera.

Die 14. Septembr. Madritum adpel-  
lens, statim sequente altera, à Rege ad au-  
dientiam

audientiam admittebatur, quæ ad ostendē- Anno  
 dam tanti monarchæ majestatem & po- 1649.  
 tentiam, perquam magnificè adornata e- &  
 rat. Legatus Turcicus numeroſo con- 1650.  
 ductu conspicuus, per 14. penetralia ad  
 audientiam ducebatur: Id autem concla-  
 ve, in quo audiendus erat, aulæis, ada-  
 mantibus & pretioſiſſimis unionibus in-  
 tertextis, per omnia obductum conspi-  
 ciebatur. Rex in eminentiori throno cō-  
 ſidebat, in quo prioribus ſeculis Carolus  
 Imperator Romanorum coronatus dicitur,  
 corona & ſceptro venerabilis, cir-  
 cumſtantibus in inferiori ejus parte om-  
 nibus Hispaniæ Purpuratis, magna autho-  
 ritate, ſaſtue magno. Legatus Regem  
 tanto ſplendore conſpicatus, tribus vici-  
 bus inclinatur, deinde in tertio throni  
 gradu in genua provolutus ſermonem  
 habet, in cuius primo membro ſuæ Maje-  
 ſtati de obitu defunctæ conjugis condo-  
 let: in altero ad ſecundas nuptias vota  
 fundit: in tertio ad ulteriora petita ſecre-  
 tiorem audientiam rogat. Quo factō, re-  
 ceſſit.

Literas deinde, cūm obtinuiffet, Cre-  
 denciales, quas vocant, exhibet, quarum  
 hic Latina translatione ſenſus fuit:

*Literæ  
 Credenciales  
 Legati  
 Turcici*

F 3

Aly

Anno  
1649.  
&  
1650.

## Aly Solimann,

Dominus Ottomanicæ familiæ, Imperator ac Dominus Dominorum, & Principum orbis terrarum, Defensor legis per Prophetam nostrum Mahometem latæ & nobis declaratæ, &c. Gloriosissimo omnium Christianorum Principum arbitro, & pacificatori Regum Christianorum, potentiss. & omnibus virtutibus absolutissimo,

## Philippo Regi,

Sit felix vitæ exitus, & facta inter nos pace, salus. Laus splendoris omnium vestrarum virtutum, Domine, etiamsi Leges, quas profitemur, diversæ sint, tamen impedimento esse non valuerunt, quin gloriosum vestrum propositum cognoverim, magnique judicaverim. Absit, ut hostibus vestris, qui in magno numero sunt, adjutor factus sim; quippe quorum actionibus me nunquam non subduxi, & expeditionib<sup>9</sup> & exercitibus eorum, quos in procinctu habent, remoram injeci, ut vos victorias, vobis dignas, reportare porueritis. Ex mea parte omnia peracturus sum, quæ Bassa meus, Camerarius & amicus,

cus,

cus, vobiscum transiget, cui plenam fidem adhibebitis. Anno

1649.

*Subsignata,*

&

1650.

*Dominus Mundi,*

In scriptis deinde sequentia proposuit: *Propositio*  
Magnus Imperator Catholicae suae Regiae *Legati*  
Majestati sanctum sepulchrum, aliaque *Turcici*  
sancta Hierosolymae loca traditurus est. 2.  
Vult ut liber commerciorum usus in omnibus maris portibus vigeat, nec in futurum praedones tolerantur, 3. Vult, ut Dn. Iohannes de Austria, cui libera regni alicujus in Imperio electio esto, Sultanam, quae Catholicam religionem amplexa, in conjugem ducat. Et 4. ut in posterum mancipiorum usus ex utraque parte sublatus sit, quae autem jam sunt, utrinque relaxantur & restituantur. Et scribitur, Sultanam esse Imperatoris Turcici sororem, quae ante quinquennium a Melitensi capta ad fidem Christianam conversa fuerit.

Nunc etiam munera, quae Legatus potentiss. Hispaniarum Regi exhibuit, adjungenda, quorum nunc indicem Mercurius gratiose Dn. Lectori offert: Primum, erant quatuor leones, cum catenis & millis, ex puro auro, quibus regiae Majestatis

*Munera*

*Legati*

*Turcici,*

Anno  
1649.  
&  
1650.

jestatis insignia adsculpta : secundum erant 12. acinaces aureis capulis, vaginis, & catenis, incisus figuris formosi. 3. quatuor arcule, cultris impletæ, quibus itidem aurea manubria & vaginæ unionibus effigiata, magni pretii. 4. Duodecim unicornia, singula duodecim palmos longa, auro conspicua, quorum crassities Regis Hispaniæ insignia præferbat. 5. Quatuor & viginti peristromata Turcica, aureo & serico contexta, victorias & exercitus continentia, quæ sua Majestas ab eo tempore obtinuerat, dum hæres regni facta. 6. Lectica ex crystallo & auro, in forma triremis configurata, velaminibus fimbriatis notabilis, in quibus Majestatis suæ victoriæ relucebant. 7. Duo minora vascula plumis magni pretii referta. 8. Aliud quoddam vasculum Crystallinum, nobilissimis unionibus obductum, quod quadraginta frusta Bezoariæ seu Bezoarici lapidis continebat, singula 14. uncias adæquantia. 9. Stragulum 40. aureis stellis insignitum, in quibus Cæsaris victoriæ explicabantur. Tandem sex equi candidi & atrati, cum totidem servis Turcicis. Quò autem Legatio hæc propriè collimaverit, hoc quidem tempore nihil dum constat: in aliud ergò rejicimus, cum præ-

legimus



tertium Mercurius Venetias gestiat, Martis 1649.  
Turcici rabiem observaturus.

&

1650.

*Belli inter*

*Venetos*

*& Turcas*

*gesti con-*

*tinuatio*

Gesti inter Mahometicolas & serenissi-  
mam Venetorum Remp. belli descri-  
ptionem gratioso Domino Lectori su-  
periori Relatione p. 63. Mercurius dedit.  
Superest; ut etiam consequentia victoriae  
maritimae adiciantur, de quibus sequen-  
tia habeat. Ex portu Foggiano triginta ad-  
huc propè triremes in Scium insulam in  
fugam abierunt, reparatae acceptas in  
pugna nupera scissuras; quo fine etiam  
Constantinopolitanae aulae consilium  
300000. Ducatos ex aëario deprompsit,  
& Britannicis mercatoribus, quod naves  
suas contra Christianos ad usum belli  
permissuri essent, tria in singula centena,  
mercium causa alioquin pensitanda, de  
vectigalibus remisit. Cum ergo omnia  
suo jam iterum ordine procederent, Bar-  
baria & Turcica classes 38. triremium &  
33. navium robore, facta in Scio insula  
coiunctione, ad succurrendum Caneam;  
non temerario Martis sui successu rem-  
egerunt, quod praeterea superius pagina  
demonstrabit: ita ut Veneti in Zazyntho  
Ephori, Bembi homini nomen est, disse-  
minatus rumusculus, quasi Veneti 13. Iu-  
lii cum classe Mahometana, conferta ad  
Eubœam

Anno  
1649.  
&  
1650.

Eubœam manu 8. horis præliati fuissent, eamque potiorem partem disiecerunt, octo triremes occupassent, & tres ex suis amisissent, itemque quod Generalissimi Mocenigipatruelis, Leonhardus Mocenigus, cum compluribus aliis occubisset, Generalis verò Bernardus accepto lethali vulnere affectus diceretur, viribus suis nixus non fuerit. Cùm itaque Veneti exercitus Rectores non paterentur, ut Generalis de Riva, quod quidem animi habebat, classem hostilem adoriretur, relictis ea tantum 8. navigiis Caneã defertur: Generalis verò Bernhardus, quod prælium detrectasset, cum præsertim 26. Britannorum navigia, displosis quibusdam, sed absque injectis globis tormentis, Venetis significarint, quod contra Christianos non militatura essent, Venetiis gradu motus, & in ejus locum Morestinus successus est.

Mense Augusto Turcæ in quibusdam assaultibus in Sudanum propugnaculum factis, æcerba jactura notati, propemodum 1500. ex suis desiderarunt: submersis Ponto sex triremibus, & occiso Generali Bassa, qui machinæ globo trajectus, cum eminentiori loco Mahometicolas contra Christianos ad pugnam animaturus

rus

ius esset: cuius vices Græcanicus quidam; 1649.  
sed rei maritimæ perquã peritus apostata, &  
cui nomẽ Mechmet, peragendas suscepit. 1650.  
Ast Ephorus Sudani præsidii, Dn. Petrus  
Diedo, ob rem egregiè gestam in Senato-  
rem Reip. Venetæ electus fuit. Qua ac-  
cepta clade Barbarica & Anglica navigia  
datis ex classe velis, sub ingressum Octo-  
bris, apud Dn. Gen. Ægidium de Haa-  
se, & Dn. Baronem à Degenfeld, Vene-  
tiis adpulerunt.

Interea temporis Tyrannus denuò, ut  
sibi regnum Cretense tradatur, à Rep.  
petere non erubuit. Convocatus ergò Se-  
natus est, & deliberatio instituta, an ce-  
dere, an arma expedire, conducibile! tan-  
dem decretũ, bellijam rationem potio-  
rem esse; tum media dispiciunt, & in ar-  
mamentario nocte dieque gravissimam  
operam insumunt. Accepto responso re-  
cusatorio, Turcæ summo robore, sum-  
movè furore Candeam civitatem ado-  
riuntur, 4000. saccis lana oppletis agge-  
res coaptant, & comportatis 3000. scalis,  
triginta millibus suorum Generalem as-  
sultum tentare satagunt: Hinc Respubli-  
ca ad promerendum à sancti Numinis  
clementia patrociniũ, 40. horarum  
preces instituit, in eleemosynas quoque  
effunditur, tum ad vim Barbarorum su-  
G stinen-

Anno  
1649.  
&  
1650.

stinendam summas suorum vires exquisi-  
rit: locum hunc, tanquam firmissimum  
soli Italici propugnaculum & clavem,  
conservatura. Turcæ collectis ad 40000.  
castris, milites remigesque exponunt, va-  
cuis navibus in portu relictis: adesse et-  
iam jubent præsidia ex omnibus Insulæ  
locis, inquilinis arma imponunt, & sub  
ingressum Octobris exterius munimen, à  
Moceñigi nomine indigetatum, ex ma-  
chinis, quas habent, maximis, quassant, &  
tertio quidem assultu expugnant; sed 24.  
solummodo horarū spatio retinent: Eò  
quòd præsidarii 400. Italici & 300. Ger-  
manis eruperint, atque id suæ iterum po-  
testati accensuerint. Turcæ deinde de-  
nuò rem aggressi, munimen rursus occu-  
pant, vexilla figunt, & aggetes conjiciunt.  
Christicolæ igitur 500. numero, adscitis  
etiam 100. equitibus Rhodiis, quos ipso-  
rum Generalis ex navibus exposuerat, de  
novo in eruptionem assurgunt; muni-  
mentum Turcis altum frementibus, al-  
tera vice ereptum, suæ rursus potestatis  
faciunt. Sed cum detestanda Barbaro-  
rum colluvies selectioribus copiis rabiem  
reiterasset, & munimenti tertium com-  
pos facta fuisset, Christicolæ cedunt, &  
tuniculo, qui subtus ejectus, (omnia  
enim

enim conspectiora civitatis loca ita evacuata ajunt,) accenso, omnes quotquot 1649. super eo consistunt, in aërem disiciunt, & in tantum ut inde 3000. Turcarum, cum 1650. ducentis Christianis miserabile fatum clauserint. Quocirca Mahomerigenæ in portum S. Demetrii averfi, & ipsum itendidem vice tertia, sed ausu frustraneo & inutili magnaque suorum clade, assultando infestant.

Tanti autem infidelium in Candiam, infelicis fati urbem, furoris causam dicunt, quod militiæ hostilis Præfectus Domino pollicitus, locum 40. dierum spatio ipsius Imperio adjecturum; Sin minus, non detrectare, quin truncato capite fortunam luat. Gen. Colloredum mortuum, rumor non confirmat; at saucium fuisse constat. Quin autem Melitenium Generalis in itinere versus Melitem ad Superos præiverit, non dubium est. Venetorum classis hybernatum Milum & Corcyram Insulas accessit: Turcarum Rhodum se subduxit, & quæ ad Candiam hærescebant, copiæ Turcicæ, Caneam reversæ sunt. Ad propugnandum egregium hunc locum, qui Venetiis istuc amandatus erat, Monachus discalceatus, non solum nobilissimo pyrobolorum artificio Ma-

Anno  
1649.  
&  
1650.

hometicolas nauseoso damno affecit; sed etiam postea novo aquaductoriae genere, quod in forma rotæ effectum dedit, quæ quoties circumagitur, ferè 30. batos aquæ concipit, fossas civitatis ultra staturam viri, undis opplevit, ut hostibus penè omnis aggrediendæ ulteriori assultu urbis occasio & accessus ademptus esset.

Finiente anno 1649. Smirna navis Venetias venit, annuncians Generalem Turcicum, imperio Domini Canea Constantinopolim velificasse, & in itinere graviore fluctuum æstu agitatum: ex quo inter le Boole d' Antro & Castellum Rossium, XI. triremes & 2. naves profundo immerse sint. Reliquas in portum Scianum elapsas. Interiecto tempore Turcæ in proximo Candia, Castellum extruxerunt, quod veterem civitatem vocarunt, ubi sese 6000. numero aggeribus communierunt. A quibus, dum impius ibi Mars tumultuat, ultra 50000. Christianorum eiecta, abducta, & per triremes catenis alligata fuere. Venetorum Generalis à Riva, ingrediente anno hoc 1650. cum classe sua in Tenedo subsistebat: inde scribebatur, Gran-Vezierium, quem aliàs nomine Græco πρωτοσύμβελον appellant, novo vere ingenti collecto robore, ad

re, ad occupandam Cretam iter factu- Anno  
rum. Quamobrem Venetorum Orator 1649.  
cum omnibus eius Domini mercatori- &  
bus Constantinopole secedere iussus, at- 1650.  
que incolis, ne ullis cum Venetis com-  
merciis agant, vel proditionis genere u-  
tantur, sub pœna mortis interdictum: de  
exitu proximè.

Ex Candia in Dalmatiam traicio. ubi  
4000. Turcarum Clissam perumpere  
putabant, innuente hoc priori nostra  
Relatione à pag. 65. usque ad pag. 74. Et  
iam sub machinis consistebant: sed efful-  
guratis in eos tormentis, grandinea mi-  
xtura prægnantibus, abacti iterum sunt,  
cladem passi 1000. virum. Sic etiam  
1500. Morlaccii ad Zaram 800. equitum  
Turcicorum turmam de quibus certio-  
res redditi erant, per faucium angustias  
dimidiam sui partem, ut transirent, passi  
sunt: Quorum deinde reliquos adorti 30.  
ex iis præcipuè inter eos dignitatis capi-  
tibus acinace truncarunt, eaq; cum mul-  
tis captivis, inter quos etiam filius San-  
giaci fuit, nec non ducentis equis domũ  
abduxerunt. De dato 10. Sept. Venetiis  
transcriptum, in Dalmatiæ provincia octo  
mensium spatio propè 20000. Mahome-  
ticplas lue pestifera Acheronta petiisse,

G 3 quo-

Anno  
1649.  
&  
1650.

quocirca Pacificationis causa Ragusii reassumpta, & inde navigia aliquot cum commerciis 400000. Ducatorum pretium peræquantibus, Venetiis carinas stiterunt, quorum proventu Respublica commodè usa est. Ingens etiam vis auri, & quanta antehac nunquam conflata; Insuper in armamentario novæ triremes fabricatæ, ad eas, quas belli vehementia absorbuerat, redintegrandas, & ut antehac solitū, jam nunquam non 300. earum expeditæ, ferente casu in promptu essent.

Exolutio stipendiorum ut sibi præstaretur, Helvetii in Dalmatia vociferaverant. Quibus ut satisfaceret 80000. Ducatorum Venetiis istuc transmissa, facta Gen Foscolo pollicitatione, quod proximè plura secutura sint. Ibi Morlaccii, sub ductu Generalis sui Marchonichi, Slavonica nationis viro, 3000. agmine, alpium claustra transgressi, in inferioris Ungariæ partes provolvuntur, & magnum pagum Billavam, (quod incolæ nulla armorum oppositione uterentur, & qui ibi provincialium penates exoriabant, 300. levis armaturæ equites in fugam abierint) diripiunt, quicquid obvium datum, gladio perimunt, omnem supellectilis copiam flammis subiiciunt. 40. captivos, cum

400.



400. equis, & 10000. minorum, nec non Anno  
 2000. majorum pecudum capitibus ab- 1642.  
 ducunt, & ita de tribuno & presbytero &  
 suo vindictæ dulcedinem exaturant. Re 1650.  
 peracta 5000. numero iterum coeuntes,  
 quintidui itinere in Bosniæ tractum ir-  
 rumpunt, apud Bagnam Lucam sex ma-  
 iores pagos nundinatorios & locum, quæ  
 Clim dicunt, exspoliant, 400. ferè Ma-  
 hometicolas mactant, ductorem phalan-  
 gis captum, cum 300. equis, & opimis ma-  
 nubiiis, ut & 1000. pecoribus Zaram re-  
 portant, relictis ex suis 60. cum quinque  
 vexilliolis equestribus, vi intumescentiũ  
 fluminum, quæ transeundum fuit, abre-  
 ptis. Hæc de Dalinatia.

Ex serio ordinis, gratiose Dn. Lector, *Exhorta-  
 tio ad le-  
 ctorem.*  
 jam quidem de statu Regni Poloniæ, qui-  
 bus videlicet conditionibus facta cum  
 seditiosa Cosacciorum gente pacificatio  
 processerit, & postea actis Varsoviæ co-  
 mitiis ratificationis officium acceperit, &  
 id genus aliis: Nec minus etiam de san-  
 guinea Angliæ, Scotiæ, & Hyberniciæ Tra-  
 gœdia, atque in hac de ingenti potissimũ,  
 à Reip. Anglicæ Præfecto militiae Crom-  
 welio in Hybernia facto armorum suc-  
 cessu, agendum foret: Tum postea, de-  
 nonnullis relatu dignis, qui in Sueciæ &

Anno  
1649.  
&  
1650.

Daniæ regnis obvenerunt casibus: cum primis verò de miserabili in Gallia dissidio, unius abhinc anni spatio, & quod paulò egreditur, enato, ex quo tres magni nominis Principes, Condæus nempe, Contiùs & Longevillanus, imperio Serenissimæ Dn. Dn. Reginae, Lutetiæ publicè capti, & in sylvæ Vicennensis claustrum abducti sunt, (cujus causam, quod formæ ari incitæ, jam sub finem demum Martii ad manus nostras perlatae fuerint, adhuc ante exitum Relationis huius, pluribus exponemus.) dicendi materia nasceretur. Ast cum alia suppetant, quæ populi rationem concernunt, eiusque genium potiùs afficiunt, (quippe in cuius favorem eiusmodi Relationes publicari solent: ) quàm intricata Regum & Principum de summa rerum mota litigia, meritò in sequentem libellum Mercurii nostri Gallo-Belgici reiicimus, eorumque potius vice in gratiam gratiosè Dn. Lectoris subsequenti adnectimus: servato in narratione ordine solito, ita ut quodque sub suo numero, quo pertinet, emergat, quorum initium fiat de matrimonii Principum & Magnatum.

*Matrimo-  
nia Prin-  
cipum &  
Magnat-  
um.*

Non autem hic dignitatis præferentiam, neque personarum respectum & autho-

auctoritatem; sed seriem temporis, quo Anno  
 acciderunt, observare animus est: ubi 1649.  
 primus & veluti amabilis quidam Dux & &  
 Choragus elegantissimi huius ordinis 1650.  
 obviam fit Celsiss. ac Illustriss. Princeps ac  
 Dn. Dn. Wilhelmus Hassiæ Landgravius  
 Cassellanus, &c. Is Jovis 24. Junii Cassel-  
 lis nobilissima comitantium caterva iti-  
 neri Berlinum se dedit, & ibi sequenti Ju-  
 lio mense cum Sereniss. Dn. Dn. Electo-  
 ris Brandenburgensis filia lectissima, &c.  
 magnis festivitatibus nuptias peregit, at-  
 que Sabbathi 4. 14. Augusti, cum sponsa,  
 magno rerum omnium splendore, Cas-  
 sellas rediit, ubi à Comitibus & Nobi-  
 libus, aliisque sublimioris conditionis vi-  
 ris, sponsa introducta, & à Senatu civico,  
 eleganti oratione excepta fuit. Plateas ar-  
 matae civium cohortes supplebant, singu-  
 larem autem ornatum addebant betula-  
 rum arbuta confertim undique suffixa,  
 & locis quibusdam, quæ transeundum  
 sponsæ erat, extructæ portæ arcusque tri-  
 umphales, sponsi sponsæq; imaginibus,  
 & aliis rebus spectatu admirabiles: ubi  
 Symphoniaci in concentum soluti, ani-  
 mos subeuntium demulcebant. Dies Do-  
 minica sancti Numinis venerationi data,  
 & quieti. Lunæ certamina equestria pro-  
 dierunt,

G 5 dierunt,

Anno  
1649.  
&  
1650.

dierunt, in queis Celsiss. Dn. Dn. Fridericus Langr. Hassiæ Castellanus, &c. magnum aliquod poculum inauratum, tanquam primum victoriæ brabæum, reportavit; Deinde Dn. Dn. Ludovicus Comes Nassovius Dillenbergensis, &c. inauratum aliquod malluyium: argenteum verò Junior à V Verder, tribuni à V Verder filius, certaminis victor, obtinuit. Nigrescente die perquàm pulchrum, nec sine sumptibus adornatum artificium pyrobolicum ejaculatum, atque in mediam usque noctem extractum, ubi inter alia novorum conjugum nomina in aëre colucentia, spectatum effigurata fuerunt. Martis, Princeps cum Magnatibus & Nobilibus venatum exivit, traiectis cervis viginti pluribusvè: Mercurii, redierunt spectacula Nobilium: Vespera saltationibus traducta, & ita deductio hæc sponsæ in domum mariti, omni lætitiæ affectu peracta fuit.

Postularet jam methodi ratio, ut etiam festi nuptialis, quod potentissimus Hispaniarum Rex Philippus IV. &c. cum Serenissima Regina Dn. Dn. Maria Anna, Invictissimi Rom. Imperatoris, &c. filia, &c. anno hoc 1649. in arce quadam 4. Madrito milliaribus distita, percelebravit:

vit: & factæ etiam Madritum deductionis, Anno  
 Majestate splendidissimi apparatus om- 1649.  
 nem admirationem superantis, descri- &  
 ptionem adicerem: ast cum vel hoc so- 1650.  
 lum peculiari solennitatis amplitudine li-  
 bro egeret, superius etiam de hoc ipso ali-  
 quod rei compendiolum conferrumina-  
 tum adposuerim; non est quod pluribus  
 hîc frustraneæ lectionis ambagibus Gra-  
 tiosi Dn. Lectoris patientia abutar.

Tertius Veneri chori antistes succe-  
 dit Illustriss. & Celsiss. Dux Mantuanus,  
 qui mense Novembri cum Archiduce  
 Austriaca Oenipontana *ISABELLA*  
*CLARA*, Mantuæ hymenæum instituit,  
 & magnificentissimo apparatu introdu-  
 cendam curavit. Regio sponsa Archidux  
 amictu exornata sub cælo portatili sive  
 Uranisco pulcherrimo artificii genere fa-  
 bricato, quod octodecim principatus  
 proceres argenteis omnes vestibus orna-  
 tissimi, sustinebant, in civitatem defere-  
 batur: stabat in obsequiis Archiducissæ  
 universa civium multitudo armata, qua-  
 tuor millium numero, & novæ nuptæ  
 gratulatura, exoneratis in applausum  
 bombardis clangorem ciebat, machinis  
 horrendo boatu altum commurmuranti-  
 bus. Per territorium Reipubl. Venetæ,  
 gratuita

Anno  
1649.  
&  
1650.

gratuita hospitatione honorata dicitur. Quartus ordine nuptiator procedit Illustriss. Princeps Anhaltinus, qui cum Ducis Holstiaë filia mense Sept. Gottorpii nuptialia sacra pepigit, ubi pro 3000. equis stabula disquisita sunt; propterea quòd Rex Daniaë, Duces Sunderburgensis, Megapolensis, Lauenburgensis, Lüneburgensis, Archiepiscopus Magdeburgensis, & Comes Oldenburgensis invitati essent, Quòd Rex ipse venturus putaretur, causa fuit, ut nuptiæ ad duo octidua prolongatæ, quibus peractis Principes, qui adfuere, à sua Majestate Flensburgum ad convivium acciti sunt.

Carolus Magnus Marchio Badensis, quintus in ordine sponus gaudet; qui conciliata connubii fide mense Ianuario 1650. cum Maria Iuliana, Comite Hohenlojensi, in arce Schillingsfurstana, nō ita procul à Rottenburga ad Tubarum Franconiaë fluvium sita, nuptias concinnavit, quas Celsissimus militiaë Suecicaë Dn. Dn. Generalissimus, & Excellentissimus Dn. Dn. Wrangelius, aliique plures rei bellicæ Optimates, cum primis autem Illustrissimus Princeps ac Dn. Dn. Albertus Marchio Brandenburgensis, &c. præsentibus cohonestarunt.

Quibus

Quibus sese pari voti pietate venerabi- Anno  
lem veluti socium & cultorem sacri cho- 1649.  
ri adjunxit, Sereniss. & Illustriss. Elector, &  
Dn. Dn. Carolus Ludovicus, Comes Pa- 1650.  
latinus Rheni, &c. qui lecta in uxorem  
Charlotta, Landgravia Hassiæ Cassella-  
na, &c. ad celebrandas die 12. 22. Febr.  
1650. nuptias, aliquo abhinc tempore  
operosum apparatus comparavit. Lunæ  
11. 21. huius, hora 2. pomeridiana Celsiss.  
Principes ac Dnn. Dn. Fridericus & Wil-  
helmus, Hassiæ Landgravii, &c. cum co-  
mitatu suo, sponso Electori obviam exie-  
runt, qui postea circa quintam demum  
vespertinam, cum aliis Principibus, Co-  
mitibus & Nobilibus, pluribusvè aliis præ-  
cellentioris dignitatis viris, & spectabili  
comitantium corona, Cassellas adventa-  
vit, ubi effulguratis in clangorem machi-  
nis, aliisque festivitatis ceræmoniis, ex-  
ceptus fuit. Cùm ergò res tardius pro-  
cederet, priusquam hospites sua aliquan-  
tum componerent, cænæ apparatus ante  
nonam fieri non potuit, at postea usq; ad  
12. protracta fuit.

Martis 12. 22. Februarii sub meridie, ci-  
baria pro Principibus adornata, in cu-  
jusvis conclavia allata proponebantur. A  
prandio ad sacrum conjugalis copulatio-  
nis

Anno  
1649.  
&  
1650.

his actum præparatoria facta, & circa octavam vespertinam in atrio aureo concio congressa fuit: quò Sereniss. Dn. Dn. Elector veste Attalica formosus, primus, resonantibus tubis tympanisque castrensibus, pulcra nobilium & eminentioris dignitatis Officiariorum serie, ex quibus octo incensas faces præferebant, nec non Dn. Dn. Comite Palatino Simmerensi, & Dn. Dn. Hermanno Landgravio Hassiæ, &c. comitatus, ad destinatum actum locum processit, quem sequuti Dn. Dn. Georgius Landgtavius, &c. cum duobus filiis, Itemque Dn. Dn. Landgt. Ernestus, & Dn. Dn. Landgravius Christophorus Wilhelmus, Homburgensis, &c. multis stipati & ipsi Comitibus. Post id etiam sponsa adducta, quæ clangentibus itidem tympanis, tubisvè, & præviis ex ordine nobilium octo facigeris, qui partem sui tribuni erant, in præfatum atrium aureum ingrediebatur: tunicæ sırımam, argento sumptuosissimè elaboratam, quatuor Comitissæ, vestitu & ipsæ argenteo amictæ, ferebant: Caput sponsa corona, margaritis & unionibus coruscante, quæ 40000. Imperialibus æstimabatur, redimita eminebat: Postquam ergò 45. Psalmus, tanquam melos nuptiale, decantatus



tus esset, & Dn. Superintendens ex lib. Anno  
 1. Chron. cap. 18. v. 26. & 27. sermonem 1649.  
 gratulatorium habuisset, secuta est de- &  
 sponsatorum matrimonialis concopula- 1650.  
 tio, eaque facta, illustrissima circumstan-  
 tium caterva iterum dissoluta, in concla-  
 via recessit, & cœna usque ad decimã pro-  
 tracta, eaque insecuta, demùm accubi-  
 tum fuit. Sponsa primas mensæ nuptialis  
 occupabat, dextramque sponsi Electoris,  
 sinistram Elector habebat, agnati reliqua;  
 quod tamen sequentibus diebus immu-  
 ratum conspiciebatur. Accubitores ultra  
 viginti erant, omnes ex ordine Princi-  
 pum, & duæ tantùm in inferiori mensæ  
 parte Comitissæ, Wiedana & Arolsina:  
 reliqui Comites & Comitissæ, cum qui-  
 busdam Nobilibus alia tabula dispositi  
 sedebant, alia etiam nobiles reliqui, nec  
 non viri mulieresque dignioris conditio-  
 nis accubabant: Post duodecimam salta-  
 tio initium, & quarta antelucana finem  
 capiebat. Mercurij, circa 7. vespertinam,  
 denuò sacra concio instituta in aureo a-  
 trio fuit, quam cœna excepit, cœnam sal-  
 tatio. Iovis, certamen equestre de tra-  
 jiciendo suspenso annulo habendum fu-  
 erat, sed cui fluctuantis Aoli impatientia  
 interdixit: à cœna ergò circa nonam py-  
 robo-

Anno  
1649.  
&  
1650.

robolici suo officio functi, quod in planitie transfluviana factum, bihorij spatio exiit. Erat hoc spectaculi genus ex acumine inventoris, qui columnas, nomina, globos hydraulicos, & id genus picti aëris admirandas effigurationes objicere callebat, nuptiarum hospitibus perquam jucunda delectatio. Veneris, luporum, vulpium, & aprorum venatio instituta, qua deinde vespera, Dn. Dn. Georgius Fridericus Comes Waldeccensis Arolsinus, elegantiore aliquem saltandi modum videndum induxit. Saturni à meridie decurrendi demùm ad suspensum annulum exercitium inceptum fuit, quo certamine etiam Elector & Principes usi. Dn. Dn. Landgravius V Vilhelmus prioribus tribus tentaminibus primum certaminis præmium meritis id postea reliquis virtutis sociis iterum in brabæum reportandæ victoriæ proposuit. Hinc Dn. Dn. Comes Salmensis primum, videlicet inauratum malluvium: Dn. Dn. Landgravius Ludovicus alterum: Dn. Dn. Comes Hanoviensis tertium, quod duo pocula erant, obtinuit. Cœna peracta, etiam Dn. Dn. V Vilhelmus Landgravius Hassiæ, & c. saltationū formas spectandas dedit, non sine magna hospitem nuptialium voluptate

ptate. Sequentibus diebus nihil, quod a- Anno  
licuius nominis esset, actum, nisi quod 1649.  
convivæ variis sermocinandi condimen- &  
tis & leporibus invicem sese ad hilarita- 1650.  
tem provocarint. Tandem nuptiis fi-  
nis impositus est. Celsiss. quidem Dn:  
Dn: Elector cum coniuge, & Dn. Dn. Pa-  
latino Simmerensi, aliquantum adhuc  
subsistebat, sed impartita deinde valedi-  
ctione, & ipse Castellis abiit, ac Lunæ 18:  
28. Martii inter 4. & 5. vespertinam, tem-  
pore ferè obnubilato, Fridberga, sele-  
ctissima comitantium turba, nostrum  
hoc Francofurtum, gratus hospes ingres-  
sus, & à 3. equitum turmis, ex mercatori-  
bus, & prosperioris fortunæ civibus, sele-  
ctis, quas duo incliti senat<sup>9</sup> Deputati, Dn.  
Christophorus Benderus & Dn. Hieron.  
Ulricus Neuhusius, Reip. Scabini, duce-  
bant, exceptus fuit. Hos præibant duo  
tesseratis sagis civitatis tubicines: transitus  
factus per portam novam & plateam li-  
nearam, quam die *Zeit* vocant, præ cæte-  
ris ampliorem & jucundiolem, in obse-  
quiis stantibus armatorum civium co-  
hortibus usque ad Sereniss. Dn. Dn. Ele-  
ctoris hospitium, quod in foro equino  
aureæ catenę insculptam notam gerit, Se-  
reniss. Dn. Dn. Electori effulminatis tor-  
mentis

H

mentis

Anno  
1649.  
&  
1650.

mentis, civiumque dispolitis concinno ordine bombardis, multoties graviter applausum fuit: Quem die Martis Comædi, qui nundinarum gratia adventaverant, ad crescentem vespere artificio scenico exhilararunt, quod in noctem usque exiit. Mercurii 20. 30. Martii finito prandio, cui præter Quæstorem imperii, *Reichs. Pfennig Meister* dictum, Dn. Bleymannum, tantummodo Principes & Comites intererant, secunda pomeridiana iterum profectio adornata, priori quidem denuò ordinis structura at majori nobilissimi comitatus frequentia, quam quæ in introitu fuit. Elector eques procedebat, cuius sinistram Dn. Dn. Comes Palatinus Simmerensis jam occupabat, qui in prandio dextrâ habuerat. Primû ordinem constituebat equitatus noster, tribus cohortibus, probè expolitis. Eum sequebantur cavalli Principum oblectis ephippiis spectabiles, cum quibusdâ satellitibus, vestitu tessurato amictis. Tum prædibat Electoris cohors prætoria, 50. vel 60. equitû numero, quinarum ordinis compage distincta, quod ita etiam in ingressu observatum fuerat, omnes sagis cæruleis, quas argentei limbi variabant, superbi, sclopeta maiora exporrecta gerebant, habebantque atratos pileos cæcia tessera notatos. Hinc  
venie-

veniebat numerosior quædam equitum, Anno  
 Principum putâ, Comitum, Nobilium, 1649.  
 aliorumque præcellentioris dignitatis vi- &  
 rum, gloriosissimâ corona. Recta post 1650.  
 hos buccatum tubicinum genus aderat;  
 novem numero, tubis argenteis inaura-  
 tis: quatuor videlicet in anteriori sui se-  
 tie, quos in medio tympanorum castren-  
 sium pullator, posteriori verò serie, poste-  
 riores quinque, omnes Palatinorum cæ-  
 sia tessera picti, per vicarium concentum  
 taratantantes, populo stuporem affuta-  
 debant. Imò, ipsum cœlum Principi  
 sponso adulaturum, nec tristia Æoli nubi-  
 la, nec quid aliud, publicæ lætitiæ damno-  
 sum, patiebatur. His progressis, se insi-  
 nuabat membrum peditum: Deinde se-  
 quebatur Sereniss. Dn. Dn. Elector, cum  
 Comite Palatino Simmerensi, ipse solus:  
 & denuò membrum pedestre, solitæ tes-  
 seræ Palatinicæ colore: postea carpen-  
 tum Electorale transibat, interiore sub  
 parte tubo holoserico per omnia obdu-  
 ctum, cui tres atratorum caballorum ju-  
 gales accincti erant: Insidebant conjux  
 Electoris, cōiuxque Palatini Simmeren-  
 sis, & quædam aliæ ex principali Gy-  
 necæo egregiæ matronæ; postea alia-  
 quoque pilita veniebant, pleraque  
 tribus jugalibus ducta: quibus reliquæ

H a

Vens

Anno  
1649.  
&  
1650.

Veneres Principumvè ministri, tanquam postremus totius actus colophon, provehebantur. Via à foro equino, & hospitio Electoris erat per plateam arenariam, funiculariam & vectoriam, per pontem Mœni, eoque adhuc die Darmstadium usque. Cum pontem Elector transisset, & inter suburbium Saxenhusianum consisteret, machinæ ex vallis, & unâ quæ ad custodiam pontis utrinque dispositæ, in fulmina exoneratæ: postquam autem suburbio excessisset, & jam versus speculam adequitaret, etiam machinæ ex propugnaculis suburbii, tertia vice horrendo boatu concrepuerunt, cui, quem civium stationes ex eodem vallo excitabant, clangor accessit; quorum milites æmuli facti, inter portam simiarum & palorum fixuras, eodem officio functi, universo aëui complementum adjiciebant, qui absque ulla sinistri casus interventione feliciter præteriit, inspectante totius fere civitatis turba.

Septimus relictis Martiis, in Veneris castra ingressus est Excellentiss. Dn. Dn. Generalis Campi-Marescalli Vicarius, Comes Pompejus, qui eodem mense Februario cum Dn. Dn. Comitiss Gōzii relicta vidua,

dua, Viennæ connubii jure sociatus, ibi- Anno  
dem nuptiarum solennia præstitit. 1649.

Postremus catervæ hujus nuptialis se &  
procum professus, Illustriss. Princeps ac 1650.  
Dn. Dn. Marchio Brandenburgensis, an-  
te hac Archiepiscopatus Magdeburgensis  
administratione functus: qui cum Excel-  
lentiss. Dn. Dn. Comitis à Zirbe, Ge-  
neralis invictiss. Cælaris Commissarii, su-  
perstite vidua, Comitum Martinitziorum  
prosapia orta, Solis 17. 27. Februarii Pra-  
gæ in Dn. Dn. Præfecti provincialis ædi-  
bus, matrimonio junctus fuit. Actum nu-  
ptialem celsissimorum hospitem, prore-  
gum putà, multorumque Generalium &  
tribunorum præcellentiss. corona, atque  
inter eos etiam Dn. Dn. Generalis Contii  
præsentia, festiviorem reddidit. Sacra à  
Reverendiss. Dn. Dominici templi Præ-  
posito profunda vespera demum peracta,  
Mercurius admiratus est. Lunæ novi con-  
juges in Principis Eggenbergici ædibus,  
sumptuosum iterum convivium adorna-  
runt, ubi Dn. Generalis Contii protribu-  
nus, & ipse horridas Bellonæ faces pertræ-  
sus, dulces potiùs facta pace Cupidinis  
ignes sentire exoptans, cum Dn. Tribuni  
illo, quem ferro occubuisse scribunt, filia,  
conjugium contraxit. Atque hic præcipu-

H 3

us Prin-

**Anno** us Principum & Comitum, qui tempore  
**1649.** hoc semestrali connubia conciliarunt, se-  
 & ries & ordo est.

**1650.** Scire etiam te volumus, gratiose Dn.  
*Admoni-* Lector, quòd antecedenti Relatione au-  
*tio ad Le-* tumnali, anni 1649. pag. 21. de Pacis Mo-  
*storem.* nasteriensis, in civitate Augustana facta  
 executione, addiderimus, ita eam frigide  
 processisse, ut expedito Executionis Re-  
 cessu, restituendis parùm inde utilitatis  
 accessurum fuerit; eò quòd cives Augu-  
 stanæ Confessionis addicti, in 12 adhuc ar-  
 ticularis contra eam gravamina objecerint,  
 quæ tum temporis brevitatis causa præ-  
 tereunda fuerint: Ast factam Dnn. Cæsa-  
 reis subdelegatis injuriam, & id informa-  
 tionis, vel ex livido malevolorum calu-  
 mniandi pruritu, vel rei gestæ ignorantia  
 profluxisse, ex literis à præfectis Reipubli-  
 cæ, Senatuq; Augustano Augustanæ Con-  
 fessionis, ad Ducem Wirtembergicum  
 perscriptis, liquidò palàm fit: quas ad ex-  
 culpandum nævulum simul atque existi-  
 mationem Dnn. Subdelegatorum redin-  
 tegrandam, adponendas censuimus, in  
 hæc verba conceptas:

*Illustrissime & Celsissime Princeps, &c. si-  
 cut nobis nostraq; Posteritati omnino incum-  
 bit, ut summa gratiarum actione extollamus  
 & per-*



per celebremus, quod prater priora à Cle. Anno  
mentia Vestra in causa Religionis Evange- 1649.  
lica, in nos collata beneficia, pio & toti orbi &  
notissimo Zelo, eò rem authoritate sua dedu- 1650.  
xerit & promoverit, ut non solum perpeffis  
jam quatuordecim abhinc annis innumeris,  
in Ecclesiasticis, & quæ inde dependent, mi-  
seriarum excruciationibus, in pristinum, quo  
anno 1624. gavisi fuimus, status splendo-  
rem & integritatem plenarie & omnimodo  
restituti fuerimus; sed etiam universalem a-  
liquam in Politicis, omnibusq; ad Rempubl.  
nostram mediatè & immediatè spectantibus  
officiis & ministeriis peræquationem, usq; ad  
unum solummodo secretiorem, Senatorem cer-  
taratione restrictum & modificatum, citra  
quam peræquationem religionis nostra salus  
consistere non potuisset, procuraverit & ere-  
xerit: Ita multò majori gratiarum actione er-  
ga vestram Celsitudinem perpetuò nos obli-  
gatos fore, merito profitemur, quod V. C. ad  
executionem ipsi ex Pacificatione Imperij  
competentem, in hac nostra Rep effectui dan-  
dam, Consiliarius & Cancellaris suo, hinc o-  
mnibus numeris absolutissimis, provinciam  
subdelegarit, & sepositis propriis Principatus  
sui negotiis tanto temporis intervallo rei per-  
ficienda sapientes moderatores & directores  
dederit, qui omnibus diligentia nervis cau-

Anno  
1649.  
&  
1650.

sam hanc tanti momenti, tantisque difficultatibus involutam & intricatam, quippe, quam non solum prioris, qui fuit, Magistratus Catholici presumpso absoluto in Evangelicos dominatu, insistentis improba contumacia, & temporis prolongandi & eludendi artificia, sed adducta etiam serenissimi Dn. Dn Electoris Bavarici adjumenta, quò insuper Constantiensium in negotio Catholicae Religionis interessentium Deputatorum, obiecta remora accessit, longè gravissimam fecerunt, tandem aliquando fortunante & sospitante sancto Numine, Pacis & Religionis datore & satore, exceptis solum orphanis, parentibus & amicis Augustanae Confessionis addictis, summo suspiriorum dolore ex gremio, partim etiam ab uberibus matrum abreptis, & in Catholicum Orphanotrophium precipitatis, composuerunt, eoque modo disternarant, quo V. C. ex secretioris sui Consiliarij & Cancellarij Relatione & informatione, scripto & ore tenus exponenda, clementer cognoscet. Ob tantam ergò beneficij gratiosè in nos collati magnitudinem, & propensam subveniendi voluntatem, omni observantiae studio, immortales gratias agimus. Et cum ad id promerendum tenuiores simus, Deum Opt. Maximum omni voto rogamus, ut ipsi redhostimentum exponere, & Celsitudi-

dini Vestrae meritum pia beneficentia praemium, quod Ipsa desiderat, etiam atque etiam referre, statusq; sui incolumitatem, regiminis tranquillitate, valetudinis prosperitatem clementer elargiri velit; de vincientes nos posterisque nostros, gratiam hanc tantam non solum undiquaque gentium devotè con-celebraturos, sed etiam, quoties templi Curiae-ve campana signum dabitur, hoc Vestrae Clementiae beneficium collaudaturos, gratias a-cturos, pro salute & incolumitate ipsius pia suspiria facturos, omnibusque alius occasionis momentis sollicitè in id operam duros, ut Cels. Vestrae, ejusque laudatissima familiae pia vicissim omnium officiorum promptitudine fideliter praesto simus: obnixè rogitantes, ut C. V. nos civesque nostros Evangelicos sub patrocinio suo etiam in posterum clementer conservet, eoque adhuc invigilet, ut splendore auctoritatis suae etiam misella, ad colendas Papismi superstitiones, in orphanotrophium precipitata soboles nostra, ipsa innocentia favorabilis, ex putido hoc animarum ergastulo & periculo quamprimum liberetur, suisque restituatur.

Quod si obtineri licebit, Clem. Vestra, quamdiu civitas haec nostra, tanquam nobilissima quae etiam inclyta Augustana Confessionis Arx & specula, imò universus orbis

H 5                      persijlet,

Anno  
1649.  
&  
1650.

Anno  
1649.  
&  
1650.

persistet, perenni hac laude & gloria merito  
efflorescet, quod prefata jam Augustana Re-  
ligioni addictum civium nostrorum corpus,  
exantlata in spiritualibus & secularibus in-  
genti persecutionum & injuriarum atrocita-  
te oppressum sublevaverit, tribulationis &  
afflictionis acerbitate debilitatum confirma-  
verit, & velut nefanda carnificinae exani-  
mata mancipia ab interitu clementer vindi-  
caverit, nec non sanctam & salutiferam no-  
stram Augustanae Confessionis Religionem,  
eo ipso loco, a quo augusti nominis omne au-  
guste & feliciter vivit, de novo corroborava-  
verit Desuper, &c. Data Augusta Vindelici-  
corum 6. Aprilis 1649.

Senatus populusq; Augustanus  
Augustanae confessionis.

### Copia

Epistole gratiarum aetoriae, ad Illustriss. Dn.  
Dn. Eberhardum Ducem Wirtembergensem,  
pro subdelegatione & execu-  
tione Pacis Monasteriensis, Senat-  
is populiq; Augustani Augustanae Con-  
fessionis.

Incendia  
casusq;  
alii por-  
tentosi.

Incendia, terræ motus, ventorum tur-  
bines, aliosque casus infelices, portento-  
sos & admirandos relaturo, de dato Vien-  
nae 15. Sept. scribitur, in platea stercora-  
ria,

ria, biduo ante, inter portam Carinthia- Anno  
cam & Burgensem, exorto incendio, 1649.  
quinque domos in cineres abiisse. II. &  
Dresdæ, mense Octobri tredecim. III. 1650.  
In munimento Francothaliensi, quatuor  
itidem domos, nō contemnendo Ephori  
proventu factas, Vulcano extinctas. IV.  
Refertur etiam de dato Venetiis, quod in  
arce Vsolongo, ad Veronensem quendam  
Comitem pertinente, flammæ atrocitas  
60000. Coronatorum damnū intule-  
rit, arcemq; cum quibusdam hominibus  
& 12. equis omninō sustulerit. V. Basi-  
lea de dato 12. Decembris obnunciatur,  
Granarium Gallicum Brisaci, ex incuria  
Vulcano cessisse, absumptis 30000. fru-  
menti medimnis, rebusq; aliis plurimis.  
VI. Londini in Britannia mense Ianuario  
1650. id infortunii accidit, ut in cūjus-  
dam mercatoris, qui commeatu tormen-  
tario commercium agebat, fornicata ta-  
berna improvise ignis pulveri nitrato ad-  
volutus, 20. arreptos cados in aërem dis-  
turbaverit: ex quo 16. domus, cum o-  
mnibus hominibus, qui in & circiter eas  
existebant, nefanda fari crudelitate ad  
superos abierunt. Hæc Vulcanus desi-  
gnavit.

Ventorum turbulentia mense Octo-  
bri

Anno  
1649.  
&  
1650.

bri Athesin movens, quæ ex alpibus Tri-  
dentinis magno tumultu & crepitu per  
Veronam præcipitatur, inquilinis quæ in-  
tra, quæ extra civitatem degentibus, ja-  
cturam aliquot auri myriadum inflixit. II.  
Mense Octobri, in littoribus maris Bal-  
thici, Rostochii putà, V Vismariæ & Lu-  
becæ, usque in Hollatiam, turbidi & oli-  
vehementia, recluso Trasciæ antro, tanto  
perduellione tumultuavit, ut ejus descri-  
bendi non detur facultas. Inde laxatis ha-  
benis in furorem acti maris fluctus, cubi-  
tum altiùs insurrexerunt, quàm 1625. fa-  
ctum, discinctis pontibus, recisis aggeri-  
bus, quoquo versum volventes, insulam  
Fehmeram subigunt, navigia quædam  
Suecica, milite multoque argenti ponde-  
re ex Pomerania in Sveciam velificatura,  
cum omni onere Ponto submergunt, eje-  
ctis ad littora suffocatorum cadaveribus.  
Sequuntur fulminis. Die 6. 6. Sept.  
Rainæ turris custodiendo pulveri desti-  
nata, Jove percussa, viginti domos disje-  
cit, ex quo dimidia ferè civitatis pars pes-  
sum ivit, majorq; quædam mœnium por-  
tio in rudera subsedit. II. Mense Novem-  
bri, à 2. usque ad 7 vespertinam in cele-  
berrima civitate Neapolitana horrendus  
terræmotus factus: ubi Vesuvius, mons  
quidem

quidem alioquin in decliviori sui parte Anno  
 arborum vitiumque fertilitate satis nobi- 1649.  
 lis, quippe ex quo *vinum Gracum*, sive la- &  
*cryma Christi* profunduntur; sed superiore 1650.  
 sui parte mera calvitie detestabilis, rupes  
 ostendit, antra & cineres, nec ullius rei  
 fructum generat, teste Strabone lib. 5.  
 Procopio lib. 2. & 4. rerum Gothicar. &  
 Ambrosio Leone lib. 1. cap. 1. & 11. de No-  
 la, in flammis jam iterum candentesque  
 cineres effusus in tantum est, ut pagus Or-  
 tajanus lapidum cinerumve grandine co-  
 opertus fuerit: quin, quod circa ad ultimum  
 Decembrem, ingens ejusmodi cinerum  
 & lapidum imber & turbo, multas in ipsa  
 etiam Neapole domos obruerit, quò vici-  
 niæ accolæ, cum liberis & uxoribus, meli-  
 orique portatilis substantiæ supellectili,  
 aliquot inde milliariibus repentina se fuga  
 proripuerant. Idcirco Neapoli, ad deme-  
 rendam piis suspiriis, pro avertendo tanti  
 mali periculo, sanctissimi Numinis reve-  
 rentiam, preces institutæ, ne illa iterum  
 miseræ lerna, qua 1630. eodem hoc men-  
 se enecati sunt, excruciantur, ubi diva-  
 gata hac Divinæ Nemesis carnificina, ul-  
 tra sex milliarium Germanicorum spati-  
 um, sexies centenorum millium Corona-  
 torum damnatum passi sunt. III. Viennæ  
 & ibi

Anno  
1649.  
&  
1650.

& ibi locorum in Austria, hoc anni tempore toto triduo & trinoctio tanta ventorum sævitia incubuit, ut multorum annorum memoriam excederet, atque non solum navigia in Danubio præcipitando perierint, sed & alibi ingentem ædificia ruinam acceperint. Hinc pars crucis superior in Scotorum turre, duos pedes crassa, delapsa fuit. Dein quidam civitatis incola, pontem, tertii Danubii traducis, transiturus, vi turbinis in fluvium præceps actus est. IV. Die 2. Jan. Sretini in Pomerania nefandi tonitruum clangores exorti, quos ingens nivis imber excepit. V. In Cretæ regno terræ motus sævitia tritemem quandam Veronensem Ponto submersit. VI. Mense Februario furentis Boreæ insolentia, in Pomerania & maris Balthici ora reliqua, pleraque loca magno damno mactavit, præcipitata etiam Griphiswaldiæ Ecclesiæ metropolitana turri, in tantum, ut totum fermè templum in rudera abisset.

Adsunt jam portenta & omina. Ineunte Octobri Hamburgi 6. 16. hujus tertia antelucana cælo conspectus ignitus globus versus Boream fuit, sui adparentia decem librarum pondere magnus, sursum deorsum se movens, formam postea virgæ  
hve



sive scoparum induebat, caudamque in- Anno  
star Cometæ illius trahebat, qui anno 1649:  
1618. Germaniam terruit, cui stellæ quæ- &  
dam mixtæ erant. II. Varsoviâ, de die 8. 1650:  
Novembr. refertur, visam ibi in aëre cru-  
cem & catejam sive arcum: crucem ite-  
rum evanuisse, catejam autem perdurasse,  
quod veteris vaticinii rationem in pluri-  
morum animis confirmavit, fore nimi-  
rum, ut 1650. universa Polonia soleis e-  
quorum cooperiatur. III. Erfordia 23:  
Octobr. perscriptum, secunda ante luca-  
na cælestes nubes ardere visas, tantâ  
splendoris claritate, ut inde omnia in ter-  
ra dilucidè cerni & distingui potuerint,  
quod uno horæ quadrante duraverit: IV:  
18. 28. Decembris, undecima nocturna,  
præter priora, Varsoviæ de novo Cometa  
in cælo, in forma virgæ ignitæ, sive alicu-  
ius scopæ, octo ferè ulnas, ab Aquilonis  
partibus versus Austrum protensus, con-  
tremiscentem se exhibuit. Hora sequen-  
ti, nimirum circa duodecimam, in Varso-  
viensi suburbio, quod à Cracoviæ obje-  
ctu Cracoviense dicitur, incendium ex-  
ortum, ex quo maius aliquod prædium  
vestibulumve, duæque domus in favillas  
reductæ: Ad suppressendam vim flam-  
mæ, aliquot hominum millia præsto fue-  
runt,

Anno

1649.

&amp;

1650.

runt, qui alioquin procul dubio in pernoscenda tantia Deo omnipotente expositi miraculi specie, soporis ignavia retardati fuissent: Postero ergo mane, Pater quidam Societatis Iesuiticæ, dum inter concionandum ad faciendam auditores pœnitentiam cohortatur, ita rem enucleavit, adversos hucusque casus, unum ex altero, regni huius pomœtia infestasse, necdum eius finem adparere; ast eo ipso, dum iam Comitia habeantur, dum de avertendis malorum fontibus consilia tractentur, tremendum terricolûm Præsidentem iracundiæ effundendæ crudele signum ætheri præfixum, spectandum proposuisse, ac ne quis sit, qui ignorantia speciem oppalliare posset, faces ipsum prætulisse, incendium puta suburbii sufflasse, totque hominum millia, ne quis sit, qui non viderit, vel fidem deneget, ex somno suscitata adduxisse. V. Eodem mense Burckhorstii in loco, à quatuor Præfecturis dicto, ubi Hamburgensium præsidarii excubabant, paries in excubitorum tugurio, ab undecima usque ad 2. pomeridianam assidue sanguinem sudavit, ut copiose in terram redundaret, quod literis de dato 30. Decembr. St. Vet. demonstrandum recipimus. VI. Londino, de dato

de dato 18. Febr. 1650. habetur, inter Anno  
Hulliam & Eboracum, à 2. usque ad 13. 1649. &  
huius, speciem duorum numerosissimo- &  
rum exercituum, equestris & pedestris, 1650.  
manus conferentium in æthere apparuis-  
se, ut resonantem armorum, tympano-  
rum, tubarum & tormentorum crepi-  
tum & tumultuationem magna homi-  
num frequentia audierit videritque, in id  
ominis rem interpretata, fore, ut ingens  
belli moles provinciam fatigaret. VII. Ex  
Dania perhibetur, Rothschuldii, ubi Re-  
gum sepultura est, ipsam humum, for-  
mam aggeris, ad instar munitionis celsi-  
tibus. adornatæ, una nocte modo sanè mi-  
raculoso, per se ipsam ejecisse, cuiusmodi  
omina plura, in aliis etiam regni partibus  
vita perhibent, ex quorum numero &  
illud est, quod in quibusdam locis fru-  
menti verè naturalis imbres defluerint,  
quod mannæ genus inde Hamburgum,  
locaque alia videndum transmissum fuit,  
augurio non vano, inter belli necessitates  
non ita magnam panis penuriam fore?  
quorum singulorum enodationem Dei  
Opt. Maximi omniscientiæ permit-  
timus.

Il homicidia & id genus facinora horret  
animus meminisse; cum primis mense  
I Augusto

Anno  
1649.  
&  
1650.

Augusto 1649. non multò longè ab Uplalia, Sueciæ civitate, nefandi casus tragediam, de dato 2. Sept. vera fide perscriptam. Rusticus in sylvam abiturus, in duos latrones incidit. qui vitæ ipsi usuram adempturi, tandem omni operâ suppliciter deprecanti, ea conditione permittunt, ut, si possibile, mulierem primi fœtus prægnantem adducat; quod si promissurus esset, non solum è vestigio centum; sed etiam, postquam adduxisset, adhuc alios centum imperiales daturos pollicentur. Rusticus, cui detestanda auri fames rationis arbitrium, quod quidem ferè mortaliū generi ita accidit, emoverat, replicat, prægnantem quidem se aliam non scire, nisi suam, quæ primo jam partu gravida esset: verum enimverò, si de reliqua Imperialium centuria fidei integritas constaret, mox eam habituros. Imò contractus perficitur. Rusticus domum abit, pecuniam uxori ostendit, aliquem ejus se horrorum vendidisse confirmat, & ex eo pecuniam hanc accepisse, jubens ut secum exeat, ad interponendum emptioni-venditioni consensum: Quo factò, tandem accepturam. Illa aliquantùm tergiversatur, tandem calculum & ipsa adjicit,

adjicit, & abit. Ast dùm in via sunt, & mu- Anno  
liercula ædes fratris sui, qui venator erat, 1649.  
præterit, non ita multum boni ominata, &  
maritum præcedere jubet, asserens se re- 1650.  
tè secuturam. Interim fratri festinè ape-  
rit, quid sibi faciendum, animum addens,  
prælagire magnum aliquod sibi impen-  
dere infortunium, rogans, comitem se viæ  
adjungat. Frater, cui non minus sinister  
genius aurem vellicabat, pollicetur factu-  
rum, pergat jubens cum marito, nec signi-  
ficet, quod in illius ædibus fuerit, sclope-  
to, quod optimè adparatum & oneratum  
habeat, quinquaginta passuum interval-  
lo in proximo affuturum. In quo mulier  
acquiescit. Inde cum rusticus cum uxore  
in sylvam venisset, duo latrones magna  
celeritate accurrunt, & pecuniam adnu-  
merant, qua emotæ mentis homuncio  
abit. Illi mulierem invadere, vestibus nu-  
date, manibus à tergo arbori alligare, ut  
miserandum in modum de præstando si-  
bi auxilio exclamaverit, conspicata præ-  
sertim, quod alter magnum aliquem cul-  
trum in lapide acutiorem reddiderit, ad  
dissectionem corporis paratus. Interim  
frater ex transverso advolvitur, latronem,  
qui alligaverat, obtutu acutissimè fixum,  
globo caput trajicit, ut illicò mortuus in  
I 2 terram

Anno  
1649.  
&  
1650.

terram prolapsus fuerit. Deinde astitit in alterum invehitur, qui terrore exanimatus, nesciebat, quid factu opus, cuius caput sclopeto verberibus ita tractat, ut in terram præcipitatus fuerit, sororis ex arbore vincula dissolvit, fune vice versa latronem ligat, & ita humi jacentem relinquit: deinde affinem insequitur, comprehendit, utrumque Upsaliam ducit, & carceri mancipandos tradit. Quod verò ipsis pœnæ genus decretum, nondum liquet. II. Vienna habemus, quatuor ibi symphoniacos, cum interdictis, sub id tempus musicalibus exercitiis unica vespere 42. mensuras vini ingurgitassent, altera inde die omnes subito exanimatos, Acheronta petiisse. III. De die 22. Octobris Hamburgo refertur, duos ibi milites, qui exautorati erant, propter latrocinia, quòd publicum cursorem spoliassent, capite plexos. Ast quòd carnifex incerto ictu verberare aberrasset, ferè à vulgo lapidibus coopertum, ministrorum opera periculum effugisse. IV. Ingrediente Novembri Viennæ, ut & V. ♀ 4. Jan. 1650. in hoc nostro Francofurto, mulier, quæ proprio partui violentam manum admoverat, gladio periit. VI. 10. Novembr. Viennæ civis, uxoris parricida factus, truncato capite pœnam dedit, deinceps crurifragio

aff.

affectus & rotæ impositus, aliis exemplo Anno  
fuit. VII. Lugduni Batavorum 19.29. 1649.

Octobr. Wallius quidam uxorem præ- &  
gnantem, cum 2. liberis viventibus, misc- 1650.

re peremit: eoque facto in plateam se sur-  
ripuit, & senem quendam sexagenari-  
um, ad operas abiturum, eadem furoris  
insania aggressus, pluribus cæsis vulneri-  
bus caput cultro incisorio amputavit: la-  
tro hic, qui alterum crus in bello amiserat  
(imò felicius fatum egisset, si caput ami-  
sisset) confestim custodiæ redditus, exce-  
ptione coactionis, delicti immanitatem  
extenuavit. Anteriori quidem die cum

quodam reformatæ religionis parcho,  
de prædestinatione sive Providentia Dei,  
Lugduni diutiùs collocutus fuerat, ast de  
præmio affusæ ab eo eruditionis proximè  
constabit. IIX Romæ mense Septembri  
quatuor Calabriae incolæ, haut dubiè auri  
cupidine adducti, Marchionem à Chiaia,  
pluresque alios procerum Neapolitano-  
rum, apud Legatum Gallicum Romæ  
commorantium, veneno è vivis avocatu-  
ri, custodiæ addicti sunt, pro ratione deli-  
cti, pœna merita donandi. IX. Ibidem,

h. 17.27. Novembr. tres malefici, qui  
noctu latrociniis vacabant, laqueo inter-  
empti, & unus illorum in quatuor partes

Anno  
1649.  
&  
1650.

dissectus fuit. X. Romam profecturus, visum ibi Jubilæi magnificentiam, Comes quidam Germanicus Schaumbergicus, cujus servi cum aliquantum tardiùs à Domino viam carperent, Comes à bannitis sive proscriptis spoliatus, & dum vim vi opponit, peremptus fuit. XI. Veneris 10. Dec. non ita longè à Cremsier, novem viarum flagellatores, in sylvæ cujusdam tesquis, ab acumine Sp<sup>æ</sup> dictis, trucidati inventi, tartareos recessus subierunt. XII. Pragæ fur domesticus comprehensus, cum vim objiceret, occisus, & cadaver furcæ suffixum. XIII. In Italiæ civitate vecchiâ, nobilitate portus clara, 3. Ian. compar remigum, quòd Præfecto triremis, à S. Sebastiano dictæ, Capitano, eadem molitum esset, quatuor triremibus distractum, & alii adhuc 11. naribus atq; auribus mutilati, perfidiæ præmium reportarunt. XIV. Decima Februarii, quidam Parlamenti Anglici Assessor, & Deputatus à Iorkschier, Hople vocatus, qui sententiæ in caput Regis lætæ interfuerat, V Vest-monasterii sibi ipsi laqueo gulam frangens, Plutonis regiam frequentavit, de quo varii rumores dispersi. XV. Quarta ejusdem (quod quidem de dato 15. hujus Noribergâ relatum



tum) frater & soror, quorum mense Julio Anno  
 & Aug. (inveniente id prior: Relatione pag. 1649.  
 105. 06.) mater & frater ob occisum mari- &  
 tum & patrem, furti; & incestus delicta, 1650.  
 pœna affecti, illa quidē securi percussa, al-  
 frater suspendio necatus fuit: tum 15. Fe-  
 bruarii, quæ adhuc in vivis supererat, so-  
 ror, palo adjudicata, & ex territorio Rei-  
 publicæ proscrip̃ta fuit: Juxta Svetonli  
 namque diverbium, ex pessimo genere  
 necatulus quidem relinquitur. Ejusdem  
 farine illud etiam est, quòd XVI. banni-  
 tus quidam, Marsilius nomine, qui 36.  
 homicidiis patratis famosus proprio quo-  
 que fratre perempto, gloriam nominis  
 inde aucupabatur, mense Februario 1650  
 Neapoli è vita sublatus. Tum etiam XVII  
 Palerni in Sicilia Antonius de Judice, du-  
 oque Doctores, populum ad seditionem  
 excitauri, pedibus suspensi, Averrum  
 subierunt. Quibus omnibus XVIII. tan-  
 dem accessit, Iudæus quidā, qui Cadenzæ  
 in Bohemia puellum Christianum quin-  
 quennem octo vulneribus interfecerat.  
 Hic 22. Martii 1650. supplicio subiectus,  
 ei; dextra mamilla candenti forvice re-  
 vulsa, inde crurifragio sursum excarnifi-  
 catus, & dissecti cadaveris partes in via  
 publica suffixæ sunt. Fervente tamen ex-  
 ecutio-

Anno  
1649.  
&  
1650.

ecutione ad fidem Christianam cōvertus, à Dn. Decano sacro baptisate initiatus fuit. Cùm deinde puellum 7. die exca- miterio in Ecclesia sepeliendum, effode- rent, in proximo sepulcri infans albo a- miculo comparuit, qui in faculam sive igniculum postea mutatus, paulatim e- vanuit.

*Strages  
magnorū  
viroꝝ.*

Substituendi jam etiam magnorum virorum obitus sunt. Hic primas habe- to Illustrissima Ducissa Modenensis, quæ, cùm filiulam esset enixa, 10. 20. Augusti 1649. felici mortis genere ad cœlites ex- cessit. II. Adest Sereniss. Princeps, ac Dn. Dn. Eduardus Dux Bregantinus, Regis Lusitaniæ Germanus, qui Mediolanen- sis castelli quibusdam abhinc annis cu- stodiam perpessus, tandem 3. Septemb. ex febris septuana extremum diem clau- sit. Hic adamantem magni pretii Cancel- lario Mediolanensi dono dedit, reliqua, quæ superfuerant, ministris, quos paucu- los habebat, distribuit, III. Dn. Dn. Ioan- nes Comes Palatinus Rheni, Sulzbacen- sis &c. militiæ Suecicæ Chiliarcha, men- se Octobri Noribergæ, apud matrem, quæ in civitate degebat, ardenti quodam morbi genere, & ipse mundi hujus quisquillas exiit. Elapso post mense magnis solen- nitatibus

nitatibus iusta tulit: præcedebant in fu- Anno  
 nere scholastici, & universi Ecclesiarum 1649.  
 Noribergensium ministri, deinde inter &  
 12. tubicines ænea tympana pulsabantur: 1650.  
 propè ad equitabat cataphractatus quis-  
 piam, postea ducebatur equus pullo ami-  
 ctu opertus, inde duo alii, gentilitiis insi-  
 gnibus Comitum Palatinorū ornati. Hinc  
 proferebantur calcaria, sequebatur gla-  
 dius, itemque baculus legionarius, galea,  
 & vexilla tria, ex quibus nigrum aliquod  
 prominebat. Funus comitabantur ambo  
 Celsiss. Dn. Dn. fratres, nec non Dn. Dn.  
 Dux Amalfæus, & Svecicæ militiæ Dn.  
 Dn. Generalissimus: Itemque complures  
 alii Svecici & Cæsariani majoris condi-  
 tionis Officarii: tum etiam Legati uni-  
 versorum Dnn. Electorum, Principum &  
 Ordinum, ad suprema hæc pietatis officia  
 invitatorum: multi insuper patricii & no-  
 biles aderant, qui omnes ex ædibus illu-  
 strissimæ matris, in aream S. Agidii, clan-  
 gentibus continuo campanis, procede-  
 bant. Facta deinde ante D. Deiparæ por-  
 tam gratiarum actione, cum machinæ,  
 non solum ex illa ipsa turris; sed etiam  
 ex porta cursoria, & quæ de hospitalis no-  
 mine dicitur, in fulgetra exonerarentur,  
 accedente eodem observantiæ officio,  
 I s quod

Anno  
1649.  
&  
1650.

quod bombardiferi cum veteris caesic legionis, (quã defunctus Princeps gloriose imperio rexerat, & jam sub 12. vexillis 1000. virum numero Noribergam venerat, ante prædictam D. Deiparæ portam armata in obsequiis perstebat) tum etiam agmina ex utroque iusta solventium latere incedentia, præstabant, à quibus cum duplicatus ejaculationibus fragor redditus esset, Sulzbachium inde abductus fuit, quem uterque Germanus cum suis secuti. Ad hanc libitinæ messem IV. referendus etiam est Sereniss. Dn. Dn. Electoris Brandenburgici filius, qui in itinere, quod Clivia Berlinum instituerat, improvise morbi casu, Vesaliæ 14. 24. Octobr. extremum diem peregit. Ejusdem V. ordinis est Dn. Dn. Comes Martiniuzius, Jaroslaus Borgitha, supremus Burggravius, & Prorex Bohemiæ, qui 1618. cum aliis in regia Pragensi ex fenestra præceps actus fuit. Hic solis 21. 11. Nov. secunda antelucana ex catharro quodã, anno ætatis 76. (alii habent 67.) Pragæ ex humanis excessit; & usq; dum filii advenirent, apud patres societatis Jesuiticæ, in templo Transfigurationis Christi, ad sepulturam depositus fuit, VI. Dn. Dn. Sendomirscius Firlejus, Poloniæ Princeps

ceps Veivoda, qui bello, quod instabilis Anno  
Cosacciorū turba excitaverat, archistra- 1649.  
tegi officio, immortalis nominis fama fun- &  
ctus, 17. Octobr. in dynastia sua vivendi 1650.  
finem fecit. Mortis causa putabatur par-  
tim senectutis languor, partim asperioris  
vitæ conditio & ærumnæ, præsertim offi-  
cii inquietas, cum frigoris & squaloris pas-  
sa gravedine, in castris Polonicis, diutino  
tempore ab hostili militia interclusis.  
Hinc etiam obitum eius tam ipsius Rex,  
quam etiam plerique regni proceres, cum  
universo equitatu, propter summas in vi-  
ro animi dotes, reiq; militaris scientiam,  
valde acerbè tulerunt. VII. & VIII. Ro-  
mæ eminentiss. Dn. Cardinalis Abrutius,  
ut & Legatus Imperatorius Dn. Frideri-  
cus Savellius, magna celebrandi Jubilæi  
voluptate incensi, uterque sextiduo ante,  
solis videlicet 9. 19. Decemb. ille quidem  
70. hic verò 75. ætatis anno, fucatam æ-  
rumnosæ huius vitæ larvam exuentes, ad  
perennis Jubilæi gloriam feliciter tradu-  
cti sunt. Quibus IX. Genuæ se comitem  
cælestis itineris adiunxit, Dn. Dux Tur-  
sius: atque Romæ, Dn. Pater Tuscus, or-  
dinis Prædicatorum Generalis, cuius vi-  
ces Pater Rudolphus, qui antehac officio  
motus dicitur, gerendas recepit, X. Bu-  
dovihii

Anno  
1649.  
&  
1650.

dovisii in Bohemia supremus regni iustitarius, Dn. Comes à Colobrath, cum otiduo fere ante Burggravius Bohemiæ renunciatus esset, repentino morbo correptus fuit. Ad eum curandum optimus Cæsar tres Vienna Medicos istuc ablegavit, ast cum seriùs admoverentur, morbi interim Herculei ferocia ipsi extremam dicam scripsit. Inde mense Januario 1650. Lunæ 14. 24. Pragam adductus, exequias exlequentibus regni prorege, pluribusve proceribus, & officariis invictissimi Cæsaris, nec non magistratum trium civitatum Pragensium in area straminea, terræ reddendus depositus fuit. XI. Vim fati etiam passus 5. Jan. Viennæ Dn. Dn. Comes Schliccius est, Imperatoris à secretioribus consiliis, & Præses Senatus bellici. In officio suffectus princeps Locovitius, ceu Præses consilii Martii, eipue in Vicarium, Dn. Generalis Vicarius Leslæus adiunctus est: utroque officii iureiurando sese adstringente. Mortem etiam obiit, Locovitii, quam secuta Ducis Lauenburgici coniunx est. His VII. accensendus, Dn. Gen. Vicarius Ludovicus Erlachius, florentissimus & absolutissimus Brisaci Ephorus, qui Mercurii 16. 26. Januarii vi hydropis extinctus, lucis ultra-

rana

ram amisit. Quem XIII. excepit, illustris- Anno  
 simus Princeps ac Dominus Dn. Ludo- 1649.  
 vicus princeps Anhaltinus, mense Febru- &  
 ario ætatis anno septuagesimo primo: Ju- 1650.  
 sta præstantibus omnibus familiæ Anhal-  
 tinæ Principibus, & 90. nobilibus, mul-  
 tisque aliis magnatibus, Chatenæ egre-  
 gio ritu terræ mandatus fuit.

Te quodq; ô Francofurtum, XIV. su-  
 premus vitæ necisque Dominus ac Patro-  
 nus, quatuor è Republica tua luminibus  
 & columinibus, quatuor, inquam, solici-  
 tis patriæ patribus, ex vivis abesse jussis  
 duriusculè corripuit: dum videlicet no-  
 bilissimos & amplissimos viros, Dn. Io-  
 hannem Maximilianum ~~sum~~ Jungen/  
 6. Junii 1649. 2. Dn. Achillem ab Hins-  
 berg, 13. Februarii. 3. Dn. Iohannem  
 Christophorum Kellerum, 21. Martii.  
 4. denique Dn. Iacobum Marquardum à  
 Glauburg, 27. Martii, 1650. omnes Pa-  
 tricios & Scabinos, integerrimos pruden-  
 tiæ præstantia, rerumque gerendarum  
 dexteritate celeberrimos Reip. Atlantes  
 æthereo polo ascripsit Is faxit, ut eorum  
 vices aliis pietatis & virtutis cordatis cul-  
 toribus suppletæ, tantæ civitati gloriæ &  
 ornamento sint.

Facta





prætorizæ, Dn. Guitant, apprehendendos  
 mandavit. Quantumvis ergò Condæus,  
 cum rem omni severitate genarum inadver-  
 teret, vim obicere & fugam arripere sata-  
 geret; attamen, cum milites prætorii bom-  
 bardas opponerent, & Dn. Guitantius  
 sclopetulum equestre in eum disploturus  
 intenderet, vi adactus imperium admisit:  
 itaque tres hi Principes vehiculo quodam  
 camerato, militari manu in castellum Vin-  
 cennense conducti custodiæ traditi sunt:  
 cuius scenæ ubetiolem explanationem,  
 ut & copiam scripti deductitii, à Sereniss.  
 Du Dn Ludovico XIV. Galliarum rege,  
 &c. eiusque Sereniss. Dn Matre, quæ cla-  
 vum regiminis gerit, publicati, utpote ex  
 quo & causæ & progressus commotionis  
 hujus satis superque elucescent, sequenti  
 Relationi, DEO volente, superaddam.  
 Hæc paucula autem, ut interim pro expli-  
 canda æri incisa forma, adjungantur, con-  
 sultum duxi: Forsan etiam de exitu in po-  
 sterum verbosior futurus.

Ratus etiam sum gratiose Dn. Lector,  
 fore, ut, dum prior Mercurij libellus pro-  
 diit, facta suo ordine jam executione præ-  
 liminaris evacuationis, cujus in exordio  
 mentionem inieci, in Conventu Noriber-  
 gensi omnia plenum colophonem tan-  
 dem

Anno  
 1649.  
 &  
 1650.

Anno  
1649.  
&  
1650.

dem acciperent : Verum enim vero cum munimenti Francothaliensis expurgatio unica hæctenus remora fuerit, in qua plerique illiso pede hæsitant, & adhuc hæsitent, fieri nondum potuit. Interim quidem puncta aliquot gravioris momenti diiudicata & transacta, scopus autem et conceptus finis causæ huius adeo sumptuosæ etiamnum in suspensio permansit. Invocandus ergo omni voto Dominus exercituum est, ut tandem aliquando iracundiæ virgam seponat, Hammis que tradat: quin potius Germaniæ nostræ nimisque miserandum in modum emedullatæ & concisæ, optimam rerum pacem, triginta iam annis exulem, omniumque desiderio unicè exoptatam, restituat : non quidem ex probitatis nostræ officio aut merito, à cuius penitiori cultu minimi, maximi, multis æquè parasangis absumus; sed ut ex gratiæ & misericordiæ redundantia populo suo, quem in regnū sacerdotale elegit, ut sit materia gloriæ, almus & munificus generis nostri autor & fautor, Princeps pacis, Dux belli, iterum benefacere, non dedignetur. Is det, fortunet, adiuvet, ut agris cultus, civitatibus libertas, Religioni securitas, omnibus denique vera felicitas redeat.

deat, Cui soli laus, honor & virtus in se-  
cula.

His carinam arenæ sisto, atque me-  
neosque gratiosi Dn. Lectoris patrocina-  
tio studiose submitto, omni officiorum  
genere obnixe obtestans, ut paucula hæc  
pro dexteritate sua, æqui bonique consu-  
at. Leviora quidem errata, pro pristino in-  
me candore, ipse emendet: De reliquis,  
quæ fortean vel calami præcipitantia, vel  
temporis angustia, præter opinionem ad-  
misit, ubi præsertim rei pondus subesse a-  
nimadvertet, ad faciendam emendatio-  
nem amicè compellet. Faciam ego, ut ex  
interposita nunquam non fidei meæ hy-  
potheca, desuper fiat, quod fas & æquum  
gratioso Dn. Lectori videbitur. His  
valeat ex voto, & suo & authoris  
longe optimè diutis-

simè,



K

SYL



## SYLLABVS

Rerum, in postremo hoc  
Tomi XXVII. libello com-  
prehensarum.

### A.

**A** Ppendix de bello Gallico-Hispanico in  
Italia & Catalonia, 74

### B.

**B**elli Gallico-Hispanici in Belgio conti-  
nuata descriptio, 52  
inter Venetos & Turcas gesti continu-  
atio, 98  
Bellum inter Pontificem & Ducem  
Parmensem utcumque compo-  
nitur, 77  
Castri deditio Pontificiis facta  
79.

### C.

**C**asus Portensis omnivarii, 122  
Conyoxio

# I N D E X.

<i>Connexio huius cum precedenti libro</i>	
<i>tertio,</i>	3
<i>Convivium Noribergae, nomine Corona Sue-</i>	
<i>cia exhibitum, ob feliciter pacatam</i>	
<i>Germaniam,</i>	32
<i>Copia Recessus Preliminaris,</i>	5

## D.

<b>D</b> <i>iffidii, inter Electorem Coloniaensem &amp;</i>	
<i>Civitatem Leodiensem, exorti, Com-</i>	
<i>positio &amp; exitus,</i>	67
<i>inter Electorem &amp; Capitulares Trevirenses</i>	
<i>orta discordia non vult componi,</i>	73

## E.

<b>E</b> <i>Vacuatio diversorum locorum.</i>	22
<i>Augustae &amp; aliorum,</i>	26
<i>Ratisponae, patriae meae dulcissimae,</i>	28
<i>Forum Aulhoris,</i>	30
<i>Exhortatio ad Dn. Lectorem,</i>	103 117

## F.

<b>F</b> <i>orma seu Tabula aeri incisae explanata</i>	
<i>tio,</i>	143

K 2

Gesta

I N D E X.

G.

**G** *Esta in aula Imperatoris notatu di-*  
*gniora,* 44  
*Hungarorum,* 48

H.

**H** *Isanorum gravis in Campaniam in-*  
*cursus,* 60  
*quibus Generalis Locumtenens, Do-*  
*minus Reinholdus de Rosis obi-*  
*citur,* 61

I.

**I** *Ter Sponsa Hispanica Vienna Madri-*  
*tum,* 84  
*Eius adventus & exceptio sive intro-*  
*ductio, cum nuptiarum solemnibus,*  
87. & seqq.

L.

**L** *Eodiensibus Coadjutor Praefectus,* 71

*Matrimo-*

I N D E X.

M.

**M** *Attrimonia Principum & Magnatum, semestri proximè elapso,*  
104

N.

**N** *Eapolitanagesta,* 83

O.

**O** *bitus magnorum & clarorum virorum,* 136

*Orator Turcicus in aula Regis Hispania,*  
90.

*literæ eius Credentiales,* 91

*Propositio,* 93

*Munera,* *ibid.*

R.

**R** *estitutio Palatinatus superioris & inferioris,* 31

*Tractatus*

I N D E X.

T.

**T**raſtatum Noribergenſium reſum-  
ptio, at irrito effectu, 143

F I N I S

Tomi XXVII. & libelli eiufdem  
Quarti.

SOLI DEO GLORIA.













Lempel



Tempel des Friedens und gegen über gesetztes Castel des Unfriedens, wie solche bey  
Ihre Fürstl: Gnad: Duca de Amalfi zu Nürnberg gehaltenen Friedensmahle beim hellen Tage an zu sehen gewesen.







W 5212

(26/28)

ULB Halle


3

007 103 360









Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8		
Cyan	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Green	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Yellow	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Red	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Magenta	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
White	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
3/Color	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Black	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8

GALLO-BELGICE  
O ARTHUSIO SUC-  
TURIATI,

*Sive*

V M I N  
T BELGIO PO-  
SPANIA QUOQUE,  
GERMANIA, UNGARIA,  
mundinis Francofurtensibus autu-  
49, usq; ad vernaes anni  
o. gestarum,

Æ NARRATIONIS

*continuata,*

SIMI SEPTIMI  
QVARTVS,

*Auctore*

O SCHLEDERO, Ratisponensi,  
*gest. Privilegio Speciali.*



COFURTI,

*um Sigismundi Latomi, Anno 1650.*

3